





DE FONTIBUS HISTORIÆ FRECHULPHI

9°1

EPISCOPI LIXOVIENSIS

DISSERTATIONEM

AD DIGNITATEM PHILOSOPHIÆ DOCTORIS IN UNIVERSITATE

LITERARUM TURICENSI CAPESSENDAM

SCRIPSIT

ÆMILIUS GRUNAUER VITODURANUS.

TURICI MDCCCLXIV.
PROSTAT APUD ORELLIUM, FUESSLIUM ET SOCIOS.

A.

Pag: 42. ad finem.

hic eni finem
primus nri operis liber expectat. qui histo riae veritate partim in se continet
ab origine mundi usque ad nativitate abrahe. duas scilic& compl exus aetates

E.

Pag: 518.

EXPLICIUNT LIBRI A BINCARNATIONE DNI NRI IHU XPI USQUE
AD REGNA FRANCORUM IN GALLIIS. ET LONGOBARDORUM INITA
LIA A FRECHULFO LIXOVIENSIS ECCLESIAE EPO EX DIVERSIS
HISTORIOGRAFFORUM LIBRIS DEFLORATI.

DE FONTIBUS HISTORIÆ FRECHULPHI

EPISCOPI LIXOVIENSIS

DISSERTATIONEM

AD DIGNITATEM PHILOSOPHIÆ DOCTORIS CAPESSENDAM

SCRIPSIT

ÆMILIUS GRUNAUER VITODURANUS.

VITODURI MDCCCLXIV.

EX OFFICINA BLEULERI.

DE FONTIBUS HISTORIÆ FRECHULPHI

EPISCOPI LIXOVIENSIS.

ARMINIO KOECHLYO
MAXIMILIANO BUEDINGERO
HENRICO SCHWEIZERO

PRÆCEPTORIBUS SUIS CLARISSIMIS

S. D.

ÆMILIUS GRUNAUER VITODURANUS.

Vestro nomini, præceptores mei dilectissimi, hoc opusculum Frechulphi fontes complexum inscribere ausus sum, propensissima confisus Vestra benevolentia quam mihi studiis, quæ philologica nominari solent, dedito semper præstitistis. Profecto Vestræ comitati atque affabilitati est tribuendum, quod literarum, quas nunc colo, amantissimus factus sum, Vestris debeo præceptis, si quid in illis profeci. Benigno igitur illud accipiatis quæso animo, quantulumcunque est, quod tamen fore grati mei erga Vos animi testimonium spero.

Primum TU, clarissime Buedingere, Frechulphi historiographi fecisti mentionem meque ut perscrutarer, quibus ex fontibus ille conscripsisset historiam suam instigasti. Feci quod voluisti. Sed quoties ut mihi modo pigro, modo labore fesso novum inspirares animum opus erat! Sæpe a via recta aberravi nec dissertatione magno cum labore iam consummata me omnia acu attigisse suspicor. Restant nonnullæ historiæ partes particulæque, quarum fontes aut non inveni aut nonnunquam fortasse etiam omisi. Sæpe quoque mihi primum accidit, ut Frechulphum ex primario quodam fonte hausisse notarem ac postea quo Noster usus est

invenirem derivatum. Sic in primo libro ille et Alcuinum et Hieronymum, eius fontem, descripsit. Alcuino igitur nondum præsente omnes illas partes simpliciter Hieronymo tribuendas esse censebam.

Deinde hoc opusculo quæstio de Frechulphi historia incepta, nondum autem absoluta est. Restat ut aliquis codicibus manuscriptis inter se collatis verba Nostri certa ratione restituta nobis tradat. Tum demum iudicari poterit, quantum ille ad emendanda aut confirmanda auctorum, quibus usus est, verba valeat. Restat etiam accuratior illa disquisitio, quanam arte Frechulphus historiam suam composuerit. Sed non omnia possumus omnes, atque alius ab alio auxilium petat necesse est. Quod si quis ex hoc opusculo petere potuerit, contentus ero.

Scribebam Vitoduri die XXII mens. April. a. MDCCCLXIV.



I.

A. EXCERPTA QUÆDAM DE VITA FRECHULPHI. [1]

Inter paucissima, quæ de Frechulphi [2]) episcopi Lixoviensis vita nobis tradita sunt, Fuldensem monachum illum prius fuisse refert Vossius [3]); ingenue tamen me fontes, unde Vossius illud hauserit, invenire non potuisse fateor. Cum Vossio congruere videtur chronicon Hirsaugense [4]), in quo Noster commemoratur sub nomine „monachi nostri ordinis" i. e. Benedictini. Quod si verum est, facile quomodo fieri potuerit intelligimus, ut Frechulphus tam arte coniunctus fuerit cum Rabano Mauro, abbate Fuldensi inde ab a. 822. Nec multum abest coniectura, Elisacharum quoque, potentem illum imperii cancellarium, quem Noster in præfatione ad septem priores historiæ libros „venerande præceptor" alloquitur, in monasterio Fuldensi docendo excelluisse. — In medio autem relinquendum est definire, quo anno Frechulphus factus sit episcopus Lixoviensis. Etiamsi enim epistola Nostri ad Rabanum scripta superest, quæ quin paullo post episcopatum susceptum scripta sit dubitari nequit: tamen certa temporis indicia desunt [1]). Antecessorem in episcopatu Noster Launobodum quemdam habuit, sicut quidem in catalogo episcoporum Lixoviensium legimus. Aut munus suum hic neglexerat aut casu aliquo acciderat, ut Frechulphus in bibliotheca episcopali nec ipsos novi veterisque testamenti canonicos reperiret libros nec eorum explanationes. Summopere autem studuisse videtur, ut populum episcopatui suo commissum ad verum dei christianæque fidei cultum adduceret. Qua de re, ut haberet, quo doceret illum, Rabanum tunc doctrina florentem epistola illa adiit, ut scriptorum ecclesiasticorum in Pentateuchum explanationes colligeret nec quod ipsi spiritus sanctus inspirasset, reticeret. Cui satisfecit Rabanus [2]). Quantum autem temporis interea præterierit, nescimus. Aut vehementer fallor, aut Frechulphus tantam operam literis et sacris

---

[1]) Cf. hist. litt. Franc. Tom. V 77—84.

[2]) Vulgo legitur: Freculphus episc. Lexoviensis. Recepi autem lectionem Cod. Gall., antiquissimi omnium, de quo postea. [Cf. tab. imagg. litt. E].

[3]) De hist. Lat. lib. III. 304. Freculphus qui et Treculphus monachus prius Fuldensis.

[4]) Anno 840. Similiter his temporibus claruit S. Freculphus ex monacho nostri ordinis episcopus Lexoviensis in provincia Rothomagensi, ad quem Rhabanus Maurus, abbas Fuldensis, multis voluminibus exercitavit ingenium; vir sanctitate morum venerabilis et eruditione scripturarum gloriosus; qui suis prædicationibus multos ad dei agnitionem convertit.

[1]) Cf. pg. 10.

[2]) Mab. ann. Ben. 30_{51}. Commentationes in Pentateuchum Freculpho episcopo Lexov. cum singulis ad singulos tractatus epistolis inscripsit.

et profanis dedit, ut brevi tempore nobilis clarusque fieret. Ac forsitan illud, quod chron. Hirs. ad a. 840 narrat: „vir sanctitate morum — convertit“ ad priores quoque episcopatus eius annos referendum sit.

Utcunque res se habet, non solum commendationibus Elisachari, imperii cancellarii, sed etiam laudi doctrinæ prudentiæque Nostri tribuendum erit, quod a. 824 a Ludovico imperatore cum Adegario Romam missus est, ab Eugenio II papa impetratum, ut in conventu virorum doctrina clarorum de cultu imaginum accurate et exquisite disputaretur. Magna enim tum dissensio orta erat, utrum imagines essent retinendæ an abolendæ. Postquam Roma revertit, ad conventum Parisiis Kal. Nov. a. 825 congregatum legationem Noster retulit. Qua relata, quicunque aderant, quin Frechulphus subtiliter prudenterque mandata sua esset persecutus, prorsus non dubitaverunt [1]).

Anno 828 conventus habitus est Parisiis in ecclesia S. Stephani de Gressibus eique interfuit Noster [2]).

Mense Martii a. 835 apud Theodonis villam remotioni Ebbonis archiepiscopi Remensis interest, qui a Lothario steterat ac Ludovico imperatori „publicam imposuerat pœnitentiam“ [1]). Post aliquantum temporis Ebbo Nostro traditur in custodiam [2]). In numero autem eorum, qui imperatore Ludovico defuncto a. 840 Ebbonem restituerunt, non invenitur [3]). Frechulphus itaque imperatoris partibus addictissimus fuisse videtur.

Mense Sept. a. 838 subscribit iudicio in conventu Carisiacensi lato contra monachos Anisolenses, qui se iniuste de monasterio eiectos esse reclamaverunt. „Iudicatum est, ut reciperet Aldricus episcopus suos monachos et faceret ex eis, quicquid ei libitum fuerit“ [4]).

Anno 843 privilegio episcoporum Germiniaci congregatorum pro Corbionensi monasterio subscribit [5]).

Anno 849 cum episcopis synodi Parisiensis scribit ad Nomenoium. Dolentes enim episcopi „de illius excessibus ab interitu paterna atque episcopali sollicitudine“ eum revocare cupiunt [6]).

Denique non traditum est, quo anno mortuus sit Frechulphus. Id tantum mense Aug. anni 853 iam mortuum fuisse constat. Interfuit enim synodo illo anno apud Vermeriam habitæ alius Lixoviensis episcopus, nomine Eirardi [7]).

---

[1]) Bouquet rer. Gallic. Script. 6_{339} Epist. episcoporum in conventu Paris. congregatorum ad Ludovicum pium de cultu imaginum : Venerabilis namque Freculphus episc. subtiliter prudenterque, qualiter ipse et Adegarius, socius illius, de hac re cum domino apostolico et cum venerandis episcopis et ministris illius egissent, viva voce parvitati nostræ innotuit. — Sed cum prudenti relatu illius cuncta cognovissemus, qualiter partim veritatis ignorantia, partim pessimæ consuetudinis usu huius superstitionis pestis illis in partibus inolevisset ....

[2]) Baluz. notæ ad capit. 2_{1112}. cf. 1_{633}.

---

[1]) Ex narratione Clericorum Remensium de depositione Ebbonis. Du Chesne : Script. Franc. 2_{341}. Hincmar. 1_{325} (opera Parisiis 1645). Mabill. annal. Bened. 31_{78}. Bouquet 6_{252}. $_{253}$. 7_{278}.

[2]) Bouquet 6_{252}. 7_{278}.

[3]) Bouq. 7_{278}. Baluz. Capit. reg. Franc. 2_{342}.

[4]) Baluz. Tom III. Misc. pg. 1. Bouq. 6_{302}.

[5]) Bouq. $7_{284-286}$.

[6]) Serv. Lupi presb. Ferrar. epist. 84. pg. 126 (opera Parisiis 1664). Bouq. 7_{504}.

[7]) Bouq. 7_{610}. $_{611}$. — Baluz. Capitul. reg. Franc. Tom. 2_{57}.

B. DE SCRIPTIS FRECHULPHI.

1. Initio episcopatus sui Frechulphus epistola Rabanum Maurum, ut sibi mitteret explanationes in Pentateuchum rogavit. Quæ quum commentariis illius in Genesim præfixa rarius inveniatur, ex editione Rabani operum Colon. 1626 exscripta huic opusculo addetur.

2. „Fertur præclara quædam scripsisse" Trittenhemius refert. Sed nihil aliud ille vidit quam primam historiæ partem. Fortuito ego in catalogo Mss. Lat. bibliothecæ quondam Vossianæ Lugd. Bat. aliorum Frechulphi opusculorum nomina inveni:

Pg. 370 Nr. 31. „Freculphus de Iudæorum iudicibus [1]) et regibus. Eiusdem chronologia ad Christum, in qua et de indictionibus et multa Iosephi præsertim de Moyse."

3. Historiarum tomi duo:

a) Liber I—VII ad Elisacharum præceptorem ab exordio mundi usque ad nativitatem Christi.

b) Liber I—V ad Iudith imperatricem a Christi nativitate usque ad Francorum et Longobardorum regna.

DE FRECHULPHI HISTORIA.

A. Quo tempore historia scripta sit.

Ut de tempore, quo Frechulphus historiam suam contexuit, certiores fiamus, a præfatione ad alteram historiæ partem nobis est egrediendum, ubi Iudith imperatrix uxorque Ludovici certam præbet ansam. Illa enim summum attigisse videtur fortunæ cacumen. Anno autem 830 omnia in regno misceri ac conturbari cœpta sunt, quibus turbationibus imperatrix quoque vehementer premebatur. Anno 830 velata et in monasterium S. Radegundæ Pictaviensis est missa. Anno 831 revertitur, sed iam a. 833 in Longobardiam mittitur exilio [1]). Si igitur Frechulphus inter hos tumultuosos annos vel etiam postea historiam suam conscripsisset, non aliter fieri potuit quam ut imperatricem, celebratissimus ille verbi divini prædicator, aut de miseriis consolaretur aut rebus adversis iam præteritis optimis prosequeretur ominibus. Sic quidem Rabanus Maurus eandem imperatricem, cui historiam Iudith et Hester dedicat, consolari studet [2]).

Sufficiunt ea, quæ diximus, ut Frechulphum illam præfationem opere iam consummato ante a. 830 scripsisse censeamus. Accedit alterum, quod Carolus, imperatricis filius, parvulus esse videtur, qui „per reginæ sanctissimæ devotionis ammonitionem atque iussionem inspicere, quid agendum vel quid vitandum sit, poterit". Aut vehementer in errorem inducor, aut Frechulphus alteram historiæ partem a. 829 consummavit, quo tempore Carolus 6—7 annos natus erat.

Quo tamen tempore prima historiæ pars scripta sit, de eo dubitari potest. Quod ad me attinet, illam confectam esse a. 825—827 suspicor. Atque Elisacharo, ut opinor, quo instigante Frechulphus ad scribendum est aggressus, tam gratum erat hoc opus et acceptum, ut discipulum suum, ne de opere incepto absisteret, sed in scribendo procederet longius admoneret. Nec dubito, quin ex monitis Eli-

[1]) Legimus apud Mabill. annal. Bened. 32_5 ad a. 838: „Rabanus commentationes suas in libros Iudicum et Ruth Humberto Wirziburgensi episcopo nuncupavit, quos petente sancto viro Freculpho Lexoviensi antistite nuper ediderat eidemque submiserat rescribendos." Verisimile est Nostrum illius commentationibus adiutum sequentibus annis 838—840 opus suum de Iudæorum iudicibus et regibus scripsisse.

[1]) Nith. 1_2 seqq. Annal. Bert. 830.

[2]) Bouquet 6_{353}: adhuc in agone consistitis ac ideo necesse est divinum implorare auxilium.

sachari Noster alteram historiæ partem Iudith imperatrici dedicarit.

Si igitur longius recesserimus, tempora hæc erunt:

a.	822	Rabanus Maurus abbas fit Fuldensis ordine quintus.
„	822—823	Epistola Frechulphi, episcopi Lixoviensis.
„	823—825	Frechulphus operam dat literis.
„	825—827	Prima historiæ Pars.
„	829	Altera historiæ Pars.
„	838—840	Opus de *Iudæorum* iudicicibus et regibus.

B. De inscriptione operis.

Inscriptio librorum, quæ nunc legitur „Freculphi episcopi Lexoviensis chronicorum libri duo, vel tomi duo" singulis partibus coniunctis facta est. In codice quidem S. Gallensi inscriptio deest, in catalogo simpliciter notatur: „Historia Frecholphi".

Primam primæ partis inscriptionem Chron. Hirsaug. servavit [1]):

„De sex mundi ætatibus".

C. Qua ratione Frechulphus historiam suam contexuerit [2]).

Elisacharus adhortatus est Nostrum, ut historiam consummaret a conditione primi hominis usque ad nativitatem Christi „perscrutando diligenter volumina antiquorum seu hagiographorum sive etiam gentilium scriptorum, quæcunque pertinent ad historiæ veritatem." Cui adhortationi ille rerum quoque ordinem distributionemque addidisse videtur. Quod ex præfationis verbis: „ut perscrutando — imperasti" pg. 2. 3. perspicue patet. Obtemperat monitis præceptoris Frechulphus. Atque eodem consilio, quo prima, etiam altera historiæ pars instituta est. Quod ad tempora pertinet, Eusebii atque ubi ille desinit, Bedæ chronica, si rem respicis, Orosii historia fundamenta sunt, in quibus historia Nostri posita est.

[1]) Chron. Hirs. 840. Scripsit (Frechulphus) inter cætera: ingenii sui monimenta ad Helisachar abbatem insigne volumen, quod *de sex mundi ætatibus* prænotavit...

[2]) Cf. M. Büdinger. „Ueber Darstellung der allgem. Geschichte insbesondere des Mittelalters." (Sybel histor. Zeitschrift 1862. Tom. VII pg. 115. 116. Bähr „Geschichte der Römischen Literatur im Karol. Zeitalter" pg. 181. Wattenbach „Deutschlands Geschichtsquellen" pg. 119.)

Inseruntur in prima parte commentationes Alcuini [1]), Augustini, Hieronymi, antiquitates Iudaicæ ac bellum Iudaicum Iosephi, epitomæ Flori, chronicon Isidori, Iordanis de Getarum origine; in secunda parte chronicon breve, chronicon integrum Prosperi, epitome Aurelii Victoris, historia ecclesiastica Eusebii, Tripartita, Hieronymi catal. script. eccles, historia Miscella, Iordanis. — Quæ omnia ex indice clariora fiunt.

Solida tamen ratione ac modo in historia tractanda Noster caret nec si nono sæculo illum vixisse tibi in mentem revocaveris exspectari ea possunt. Libat ex commentationibus narrationibusque auctorum, qui ei præsto sunt, quæcunque eum maxime specie veritatis movent ac libata coniungit. Singulæ tamen historiæ particulæ persæpe ratione solida crisi destituta coniunguntur. Tempora ab auctoribus citata Noster omittit ac loco eorum formulis vulgaribus utitur e. c.: tunc etiam, iisdem diebus, iisdem fere temporibus, hinc, denique et cætera. Sæpe etiam accidit, ut easdem res bis narraret vel ex auctore quodam aliquid reciperet, quod ad rem respicit, quam auctoris verba prælibans exscribere neglexerat. Sed non id spectavit, ut novi aliquid in historia sua inveniretur, quum dicat: „Non ignota canens veterum, sed dicta priorum". Mirum tamen videtur, quod Potthast in libro suo celebratissimo, quem „Wegweiser" inscripsit, ad nomen Frechulphi hæc adnotat: „Urtheil oft frei und einsichtsvoll, Sprache einfach und körnig.".

Nam quot auctores Noster descripsit, toties genus dicendi mutatum est.

[1]) Rabani Mauri commentariis Noster non utitur, recedit autem ad auctores ab illo notatos.

Latinis deinde auctoribus versionibusque Noster usus est, ita ut dubitari possit, num bene Græce sciverit. Librarii saltem codicis quoque S. Gallensis correctore priore excepto vocabula Græcis literis ab auctoribus scripta omittunt. Sed de rebus singulis in sequentibus agemus.

Etiamsi igitur Frechulphus non ab omni reprehensione liber est, tamen magnam illam laudem meritus est, quæ ei per omnia sæcula est tributa. Superavit enim scriptores annalium ad historiam mundi scribendam aggressus. Nobis quidem eius opus non amplius sufficit, admiramur autem virum illum, qui ante mille annorum spatium tantum opus composuit. Iure igitur Gallia Frechulphum inter præcipua doctrinæ lumina nominare potest.

D. De codicibus manuscriptis.

Satis multi supersunt codices Mss., qui historiam conscriptam a Nostro continent. Quorum collationi nemo adhuc operam dedit. Frechulpho autem fontes, unde historiam suam conscripsit, perraro mutante, persuasissimum mihi est, multa subsidia collatione codicum facta ex illo petitum iri ad verba auctorum, quibus usus est, aut emendanda aut confirmanda. Ac iam periculum eius modi fecit Closs in illa sua Iornandis de Getarum origine editione. Quæ quum ita sint, mihi nihil aliud restat quam ut, quot codices invenerim citatos, enumerem. — Utraque historiæ Frechulphi parte non eodem tempore vulgata, causa adest, ex qua modo una, modo altera, rarissime tamen utraque invenitur pars. [1]) Igitur ut sit quidam in enumerandis codicibus ordo, primum tenebunt locum ei codices, qui utramque continent partem, secundum, qui primam, tertium, qui alteram partem servant. Quarto loco ei codices numerabuntur, quorum summa incerta est.

[1]) Quam ob rem sæpe unius alteriusve partis mentio fit [Annal. Parch. Mon. Germ. 16_{598}]; Sigeb. Gembl. — Bellarmin — Trittenhemius), raro autem utriusque. Utramque primus citat partem Anonymus Mellicensis cap. 61. Utramque novit etiam scholiasta Sigeberti Gembl. —

1) Codices qui utramque historiæ partem continent.

a) *Codex S. Gallensis. Nr. 622* signatus, sæc. IX exeuntis vel X ineuntis longe antiquissimus omnium, de quo postea.

b) *Cod. Nr. 41.* In folio pergam. [Catal. des mss. de l'école de médecine de Montpellier. (Catal. gén. des mss. des bibl. des départ.)]

1° Incipit hystoria Freculphi hystoriographi et Lexoviensis episcopi, sæc. XII—XIII. Cf. Pertz. A. 7_{196} [duodecim libri, XIV sæc.]

c) *Cod. Nr. 24.* Pergam. Quando scriptus sit hic codex non dicitur. (Catal. bibl. univ. Lugd. Bat. pg. 325). Cf. P. A. 7_{184}.

2) Codices qui primam historiæ partem continent.

a) *Cod. Nr. 9173.* Freculphi historiæ. Incipit præfatio ad Elysacharum. — Explicit liber septimus historiarum Freculphi. Forma 36°. Sæc. XII. (Catal. des mss. de la bibl. royale des ducs de Bourgogne. Tom. I, Répert. Tom. II).

b) *Cod. Nr. 4487.* Membranaceus, olim Puteanus.

1° Freculphi Lexoviensis Episcopi chronicon in libros VII distributum — ad calcem subiciuntur excerpta e Iulio Africano, Eusebio, Isidoro, Beda et aliis. (Cat. codd. bibl. regiæ (Parisiis 1744. Tom. IV). Cf. P. A. 7_{51} [sæc. XII].

c) *Cod. Nr. 1734.* Frec. hist. libri VII, sæc. XII, (Codd. mss. bibl. univ. Cantabrig.). Cf. P. A. 7_{83}.

d) *Cod. Nr. 939_1.* Frec. libri VII hist. (Codd. mss. collegii Corporis Christi Cantabrig.). Cf. P. A. 7_{87}.

e) *Cod. Nr.* 887_{10}. Membranaceus, sæc. XII. Freculphi episc. Lex. chronicorum libri VII priores ad Elysacharum. [Mss. de la bibl. de Troyes. (Cat. des bibl. des départ. Tom. II)]. Cf. P. A. 7_{218}.

f) *Cod. Nr. 718.* Sæc. XII.

2° Freculphus. Incipit: domino præceptori. Desinit: A diluvio quippe.. „Ecrit sur deux colonnes en minuscules avec initiales en couleur, avec fleurons au trait sur un fond de couleur.“ [Mss. de la bibl. de St. Omer. (Cat. des bibl. des départ. Tom. III)].

g) *Cod. Nr. 160.* Membranaceus. Frec. episc. Lex. chronicorum libri VII. (Cat. bibl. publ. univ. Lugd. Bat. pg. 332).

3) Codex ms., qui alteram historiæ partem continet.

Cod. Nr. 295. Membranaceus, sæc. XII—XIII.

3° Chronicon Freculphi Luxoviensis episcopi, cum prologo. Pars secunda. (Cat. de la bibl. de Montpellier). Cf. P. A. 7_{203}.

4) Codices mss. dubiæ summæ.

a) *Cod. Nr. 267.* Sæc. XI. [Codd. mss. coll. Corp. Chr. Cantabrig.]. Cf. P. A. 7_{85}.

b) *Cod. Nr. 5425.* Sæc. XII, forma 32°.

2° Freculphi historiæ. Incipit: Dum aliquam temporum. Cf. P. A. 7_{84}, ubi præterea citatur alius codex, sæc. XIII: Freculphi chronicon. Quem in catalogo non invenio.

c) *Cod. Nr. 9532.* Sæc. XII. Freculphi historiæ. Incipit præfatio ad Elysacharum. (Cat. de la bibl. royale des ducs de Bourgogne. Tom. I, Répert. Tom. II).

d) *Cod. Nr.* 1007_{61}. Freculphi historia. (Codd. mss. eccles. cathedr. Sarum). Cf. P. A. 7_{103}.

e) *Cod. Nr.* 2949_{50}. Freculphi historia. (Bibl. eccles. Eaton prope Windsor). Cf. P. A. 7_{103}.

f) *Cod. Nr.* 518_{378}. Ivonis vel (?) Freculphi historia et Martinus Polonus. (Trinity college Dublin). Cf. P. A. 7_{104}.

g) Gestis Trevirorum primæ recensionis addita sunt excerpta ex libris Frech.

Cod. Nr. 5. Middlehill, membran. sæc. XIII. Cf. P. A. $7_{513.\ 514}$.

De codice S. Gallensi [1]).

Etiamsi iam antea, haud procul ab urbe S. Galli habitans, codicem S. Gallensem accuratius inspicere in animum mihi induxeram: tamen dissertatione mea sæpe interrupta, multum temporis præterierat. Adii deinde Wartmannum, virum illum doctissimum, de edendis monumentis literarum S. Gallensibus meritissimum, ut mihi nonnullos Cod. S. Gallensis locos conferret rogans. Neque illius auxilium mihi abfuit.

Cuius ex epistola quum de præstantia illius codicis certior factus essem, nulla amplius mora, quominus illum ipse inspicerem, data erat. Ac profecto hoc loco summas gratias agere iuvat bibliothecæ monasterii curatori, qui propensissima voluntate ac benignitate in ipsa bibliotheca codicem mihi inspiciendum dedit. —

Codex Nr. 622 signatus in monasterio S. Galli scriptus esse videtur propter rationem scribendi, cuius nonnullas imagines huic opusculo inserui. Citatur præterea in breviario, quod nono sæculo scribi cœptum est, hoc modo: „Historia Frecholphi in volumine I grandi“. Quatuor quidem scribæ in illo breviario noscuntur; qui nostri codicis mentionem facit, secundus nominari solet, et ad finem noni vel initio decimi sæculi scripsisse creditur. Verum enim vero falsa ea ratiocinatio est, quæ ex verbis [2]):

„Anno dominicæ incarnationis DCXIV sanctus Gallus divina disponente gratia hanc

[1]) Cf. Pertz A. $1_{409-413}$.
Catalogus mss. Tschudianorum. Turici 1767. Sumptibus Ziegleri.

[2]) Cf. tabul. imagg. D,

heremum inhabitare cœpit. Anno dominicæ incarnationis DCCXX beatus Othmarus hic promotus extitit in abbatem."

in ultima codicis pagina minoribus literis scriptis illum in monasterio S. Galli scriptum esse definire studet [1]). Nam quicunque accuratius illa verba inspexerit, quin manus recentioris fortasse XIV sæculi sint, vix dubitabit. —

Superest tamen alia coniectura. Fieri enim potuit, ut codex noster iam scriptus a discipulo quodam Rabani, quocum intime coniunctum fuisse Frechulfum scimus, in monasterium S. Galli afferretur. Utcunque res se habet, de ætate codicis vix dubii esse possumus.

Venit deinde codex in manus Aegidii Tschudii. Utrum utendum illum a monasterio petitum retinuerit an emerit nescimus. Anno demum 1768, XIII die mensis Febr. Beda princeps et abbas S. Gallensis codicem Nr. 99 signatum redemit cum tota bibliotheca Tschudiana, magno cum dolore civium Turicensium, qui maiorem pecuniam polliciti erant.

Anno 1824 elenchi capitum cuique libro præfixi ac liber ultimus ad usum societatis historiæ Germanicæ descripti cum imagine literarum Francofurtum missi fuere [2]).

Historia Frechulphi in 518 paginis scripta est, ad quarum magnitudinem tabula imaginum instructa est. Constat tamen codex ex quaternionibus foliorum valde imparibus. Quaternio enim significat octo folia sedecim paginarum. In illo autem inveniuntur:

I quart. pg. 1—16, II 17—36, III 37—52, IV 53—62, V 63—84, VI 85—100, VII 101—116, VIII 117—124, IX 125—140, X 141—156, XI 157—172, XII 173—178, XIII 179—194, XIV 195—210.

Operculorum, quæ inculta sunt atque inornata, secundum in adversa parte hæc verba continet membranæ resegmini inscripta:

„A° D. 1252 natus est Cuonradus secundus, rex Ierusalem et Siciliæ, dux Sueviæ."

1) Pertz Arch. $1_{409-411}$.
2) Cf. Adnotationem codici præfixam.

Cuique libro elenchi capitum præpositi sunt. Nec tamen omnes codicis partes ab eodem librario scriptæ sunt. Quam rem ut accuratius examinarem, tempus mihi non suffecit. Qua re in eo mihi acquiescendum est, ut quæ me inter legendum offenderint, communicem.

Pg. 1—84 (quat. I—V) primo cuidam librario tribuimus. Literæ paucis paginis, quæ minoribus literis inscriptæ sunt [1]), exceptis eædem sunt, quas in tabula imagg. lit. A. videmus.

Pg. 85—124 alius librarius scripsit. Secundum illum nominemus [2]). Singula capita simpliciter numeris notatione „capt" prætermissa notantur. —

Pg. 125 seqq. a tertio quodam scriba inscriptæ sunt. Cui maior literæ T forma initio comprehensionum verborum peculiaris est. Nec curva literarum l, b forma apud priores scribas invenitur.

Pg. 296—306 } manus primi scribæ ap-
„ 460—463 } paret.

Restat ut de correctoribus referam, quos duos esse censeo. De priore quidem, qui simili atramento quo librarii scripsit, sæpe dubitari potest. Hoc autem constat, librarios assimilationem consonantum in verbis compositis omisisse, correctorem priorem instituisse. Cuius rei quamquam exempla permulta mihi præsto sunt, tamen illud unum noto, quod in tabulam imagg. A recepi. Ibi librarius scripsit conplexus, corrector complexus.

Facile deinde alius corrector disiungitur, quippe qui nigro atramento utatur, recentioribusque literis. Pg. 48, vocabulum „cum" recentioribus literis suprascriptum est, quod quin eiusdem sit, qui in ultima pagina illa verba addidit, haud magnopere dubito. Ab eodem pg. 147_{17}. $156_{1 \cdot 7 \cdot 13}$. 170_{21} verba scribæ deleta aliisque compensata videntur. Forsitan hic quoque in priore codicis parte inter terna vel quaterna verba interpunxerit. Inveniuntur saltem illic multa nigri atramenti puncta.

1) Tab. imagg. B.
2) Tab. imagg. C.

Correctiones, quas Tschudi fecit, minimi momenti sunt. Profecto recte dicit Ildefonsus ab Arx [1]): „Aegidius Tschudi hic inde errores corrigendo codicis pretium diminuit.“ In margine illæ adscriptæ sunt ac facile ex atramento pallido literisque recentioribus perspiciuntur.

Nec codex ab interpolationibus explanationibusque partim supra lineas, partim in margine adscriptis liber est. Quæ inveniuntur inde a quarto primi tomi libro ac duobus scribis tribuendæ sunt ex ratione scribendi. Alter enim pulcherrimis, alter inornatis literis scripsit. Quorum prior procul dubio idem est, quem priorem correctorem nominavimus.

Explicationis causa suprascripta invenimus ad: „impatientia Varronis“ [Ed.: pg. 239 ad finem, Cod. 196] verba: „oportunitatem exspectare nolentis.“

Ed. 258_{18} Cod. 209_{4} ubi de interitu Carthaginis agitur: „Vide urbem ditissimam tam infortunam ut nunquam in divitiis spem ponas“.

Ed. 243_{8} Cod. 199 ad verba „a fratre Hasdrubalis“ additur: „et hannibalis fratre magone“.

Ed. 251_{16} Cod. 204 ad: „veneno se necavit“ legimus: „aspidis quidem ad mortem præsentem sub gemma annuli semper gerebat“.

Ex interpolatione simul atque explanatione [Ed. 239_{28}, ubi nova historiæ pars incipit] verba adduntur: „Sequitur pugna cannensis quamvis fabii maximi dictatoris tempus medium fuerit qui impetum hannibalis cunctando tardavit, differens cottidie pugnam atque irruens in non sperantem hostem victor factus est“. Verba enim: „Sequitur — tardavit“ profluunt ex Or. 4_{15} quem Frechulphus descripsit, „differens — est“ explicationis causa dicitur.

Ed. 242_{14} Cod. 198 ex Or. 4_{17} verba, quæ in exordio capitis leguntur: „Claudius — expugnare non potuit“ adscribuntur.

Comparavit igitur interpolator cum Orosii Frechulphi historiam atque ubi necessarium ei videbatur, ex illo supplementa addidit.

[1]) In adnotatione codici præfixa.

Codex autem noster S. Gallensis non solum omnium est antiquissimus, sed etiam laudem optimi mereri videtur, etiamsi non ab omnibus vacuus est mendis.

Editio.	*Fons.*	*Cod. S. Gall.*
45_{10} Maran.	in Aran	32_{12} in aram
140_{3} olim Phœnice	Olympionice	114 Olymphyonice corr. Olympionice
150_{18} Bericus	Lyricus	122 liricus corr. lyricus
270_{1} a Barsace	ab Arsace	217 ab arsace
274_{11} a Pericl.	ab Hericlito	219 ab hericlito
322_{5} Successiones	Suessiones	250 suessiones
53_{7} ante annos septem.	ante annos famis VII	55 ante annos famis VII
257_{9} positum	peditum	208 peditum
280_{18} cladis	calidis	223_{14} calidis

Vocabula græca, quæ apud auctores, quibus Frechulphus usus est, inveniuntur, codex S. Gall. omittit. —

E. De editionibus.

Historia Frechulphi primum Coloniæ anno 1530 prelum subiit forma quartanaria maiore. Denuo liber typis descriptus est eadem forma in eadem urbe a. 1539. Octonariam formam Frechulphus induit a. 1597, quæ editio ab Hieronymo Commelino curata est atque Heidelbergensis nominari solet. Singulare tamen primo obtutu videtur, quod in duobus librorum catalogis

1) bibl. Traiectinæ,
2) bibl. Burmannianæ Lugd. Bat. 1742. pg. 198,

invenitur: Freculphi episcopi chron. libri duo — chronicon — Genevæ 1597.

Nam vix fieri potuit, ut eodem anno duæ editiones curarentur. Quæ res ita explicanda est. Commelinus, antequam Heidelbergam venit, Genevæ morabatur, nec dubium est, quin iam ibi editioni Frechulphi operam dederit, quæ postea Heidelbergæ est vulgata. Igitur, quum libris additum non sit, qua in urbe vulgati sint,

error haud multum aberat, ex quo nonnulli Genevæ illos typis exscriptos esse putabant.

Noster deinde in bibliothecas patrum receptus est.

1) Bibl. Patr. Lugd. XIV 1061 seqq.
2) Bibl. Patr. Paris. XVI 122 seqq.
3) Bibl. Patr. Colon. Agr. IX 419—516.

Verum enim vero omnes Frechulphi editiones ex uno atque eodem codice manuscripto recentiore profluunt, quo editio princeps usa est, vel potius editio princeps sub varia forma semper iterata est. Quæ omnes et eadem menda et illam lacunam inter primum et secundum primi tomi librum exhibent, de qua his verbis nos consolari student: „Ne tibi fucum facere videamur, candide lector, ingenue fatemur, hic inter primum et secundum librum utrinque aliqua desiderari, nulla sane nostra vel incuria vel studio, sed exemplaris, ex quo hæc, cum aliud correctius non suppeteret, descripsimus, vitio. De quibus tamen non est, quod magnopere labores, cum huius modi fere sint illa, ut ex sacrorum bibliorum lectione abunde constare tibi queant."

Ex codice S. Gallensi illam explevi lacunam ac suo loco singula capita inseram.

EPISTOLA FRECHULPHI.

Freculphus episcoporum infimus venerabili abbati Mauro et consacerdoti in christo dei filio salutem.

Novit, mi dilectissime, tuæ charitatis benevolentia, in occiduo littore oceani quamvis nullis suffragantibus meritis pastoralem me suscepisse curam: ubi populum famem passum verbi salutaris repperi, sed minime suam sentientem inediam. Non enim spirituales esuriendo desiderabat dapes, quarum suavitatis gustum necdum expertus erat: quem primum lacte alendum, non solido censui cibo. Igitur annuente domino escam iam abiunt contingere et quamvis adhuc parvuli panem sibi dari deposcunt; sed ut eis frangatur et in viscera eorum salubriter traiciatur absque discrimine strangulationis, vestro indigemus solatio, maxime autem in Pentatheucho. Qui scilicet legislatoris libri, humiliter deposcimus, ut ita vestro succincte dilucidentur studio, ut priorum perscrutando conferatis tractatorum labores et velut ex pratis vernantibus amœnisque flores mellifluos carpendo apum more in alveareum congestos nobis favum cum melle odorifero porrigere non negligatis. Ergo itaque modo opus hoc compendiosum fieri flagitamus, ut primum sensus literæ ac deinde spiritualis intelligentiæ accurate succisa prolixitate pandatur et singulorum nomina autorum in fronte notentur pagellæ, ex quibus præsentes decerpseritis sententias. Insuper precamur obnixe, ut quicquid spiritus sanctus qui loquebatur olim in viris deo deditis et adhuc loquitur et loquetur, vestro benevolo et devoto inspiraverit animo, sub nullo reticeatis silentio, sed literam prænominis vestri primam seorsum annotetis, ut eminentius etiam de proprio gaudere valeamus pariter dono. His quoque prælibatis ut fuerimus odoribus respersi dapibusque refecti, vertetur occasus noster in orientem et regio contigua axi occiduo fiet Iudæa, nostrique Britonum vicini erunt Israelitæ. Ergo si aliquas excusationis prætendere tentaveris occasiones, ne tantæ molis opus ingentisque laboris subeas et respondere nisus fueris, cur non proprio sudore eos legendo perlustrem [1]) libros, ex quibus hæc fieri mando, et quæque libuerint

decerpendo colligam: ad hæc vestræ charitatis vigilantia intendat, quoniam nulla nobis librorum copia ut hæc facere possimus, suppeditat, etiam si parvitas obtusi sensus nostri vigeret, dum in episcopio nostræ parvitati commisso nec ipsos novi veterisque testamenti canonicos repperi libros, multo minus horum expositiones. Nec etiam hoc vestram prudentiam latet, quod multo suavius ab esuriente hic sumitur cibus, qui cum flagrantia pretiosorum pigmentorum tempore opportuno ab aliquo rationabiliter est conditus, quam ille, qui inerti colligitur labore; et quando iam hora vescendi est, tum primum diversæ species teruntur mortario, coquuntur igne, sicque semicoctæ famelico anxio apponuntur [1]); quæque immature sunt confectæ, non gratum saporem percipientibus præstant. Quapropter ea, quæ mea parvitas vestræ iniungit fraternitati, qui fiduciam de tua dilectione simul et obedientia habeo, ut ocyus tanti operis studium adhibeas, fiducialiter impero. Bene frater valeas nostrique assidue memor fias. —

[1]) Editio: perlustro — colligam. Ad hæc . . . Cui verborum coniunctioni cum sensus desit, aliter coniungere ac scribere ausus sum.

[1]) Editio: apponantur. Cur coniunctivus usurpetur, ego quidem non intelligo. Forsitan erraverit typographus.

Confecit commentarios in Pentateuchum Rabanus Maurus ac misit Frechulpho alios post alios, additis epistolis, quarum prima Genesi præfixa inscribitur:

Reverendissimo atque sanctissimo patri Freculpho, dei dono episcopo Hrabanus pecator in Christo salutem.

. . . . Feci enim sicut postulasti et sanctorum patrum libros, in quibus rebar aliquid de sententiis legis expressum esse, quantum licuit, perlegi et singula secundum opportunitatem loci, prout mihi satis esse videbatur, inserui, eorum nominibus in pagina prænotatis.

II.

FONTES HISTORIÆ FRECHULPHI.

(Paginæ citantur ex editione Hier. Commelini a. 1597.)

TOMUS I.

LIBER I.

Cap. I.

1) *Dum — parvitati.* Frech.

Pendet ex lectione Iornandis de succ. regn.: „Cum aliqua de cursu temporum scribere delibero — ex diversis voluminibus maiorum prælibans aliquos flosculos . . .“ —

2) *Omnes — curavi.* Or. 1_1.

Perpauca Noster addidit et mutavit.

Or.: ab ipso primo homine — cœpisse.

Frech.: ab ipso protoplasto exordium sumere.

3) *Qui — die.* Frech.

4) *Post — suis.* Alcuinus interr. et responss. in Genes. 1.

Cap. II. Alc. Gen. 9.

Cap. III?

Cap. IV?

Cap. V.

1) *Erat — Christum.* Aug. C. D. 13_{21}.

2) *Quod — sacramentum.* C. D. 13_{20}. Aug. Gen. ad lit. 8_4.

3) *Lignum — malum.* Alc. Gen. 52.

4) *Si — legat.* Frech.

Citantur Augustini libri de civitate dei. —

Cap. VI.

Antiqq. Iud. Iosephi 1_4.

Verba ad finem: „et hoc — reliquit“ ex Alc. Gen. 83.

Cap. VII.

1) *Qua — terra?*

Dominus — puniat. Alc. Gen. 86.

2) *Respondit — cruciatibus.* Hier. Damaso I quæst. Tom. III_{33}.

Cap. VIII. Aug. C. D. 15_7.

Cap. IX.

1) *Sequitur — plurimas.* Aug. C. D. 15_8.

Frech.: multitudo societasque.

Aug.: multitudo aliquo societatis vinculo colligata.

2) *Sed — fabricata?*

3) *Refert — appellavit* (ad finem). Ios. ant. 1_4.

Citatur antiquitatum scriptor Iosephus.

Cap. X.

1) *Igitur — pericula fodit?*

Quidam ex Nostris, ait Frechulphus, hoc carmen composuit. Quis ille fuerit nescio.

2) *Sallustius — instituerat.* Aug. C. D. 3_{14} (pg. 301 ad finem).

Cap. XI.

1) *Igitur — Syriæ.* Ios. antiqq. 1_4.

2) *Ergo — Enoch.* Exord. chron. Eus. IV (Scal.).

Cap. XII.

1) *Enoch — tulit.* Exord. chron. Eus. V.

2) *Qui — apostolo.* Beda 622.

3) *Ait — conscripserunt?*

„Unde — conscripserunt.“ Repetitur ex alio fonte, quod iam supra c. 11 dictum est.

Cap. XIII.

1) *Filii — inspicientes.* Ios. antiqq. 1_4 (ad finem).

Citatur Iosephus.

2) *Deinde — irritaverunt.* Ios. antiqq. 1_5.

Cap. XIV.

1) *Sequitur — elegerant.* Aug. C. D. 15_{23}.
2) *Ergo — angelos.* C. D. 15_{22} (ad finem).
3) *Quod — angelus.* C. D. 15_{23}.
4) *Igitur — perierunt.* C. D. 15_{23} (excerpt.).

Cap. XV.

1) *Vixit — annis DCC.* Exord. chron. Eus.
2) *Hic — Isai?*

Cap. XVI.

Hier. quæst. hebr. Tom. III_{204}.
„Omne — hominum" additamentum nescio ex quo fonte.

Cap. XVII.

Hier. Damaso I quæst. Tom. III_{34} (Cf. Cap. VII).
Dubia: dixit — septies.
qui — perpetrasse.
in — solutionem.
si quidem — statutæ.
Iudæum — Christi.

Cap. XVIII.

1) *Videns — eos.* Aug. C. D. 15_{24} (ad finem).
Illud „inquit", quod in exordio capitis legitur, sensum non præbet. Apud Aug. ad vocem „scriptura" referendum est.
2) *Ira — consultum.* Aug. C. D. 15_{25}.

Cap. XIX.

1) *Quod — delerentur.* Aug. C. D. 15_{24}.
Frech. falso: nomen totius summæ.
Aug.: nomine totius maximam partem sign.
2) *Hieronymus — destinato.* Hier. quæst. hebr. $III_{204 \cdot 205}$.
Hieronymus citatur ut unius loci interpres neque tamen ut fons, unde omnia illa verba profluant.

Cap. XX.

1) *Noe — diximus?*
2) *Graviter — privatum.* Ios. antiqq. 1_5.
3) *Noe — sua.* Ios. antiqq. 1_5 (excerpt.).
4) *Ut — sufficiunt.* Frech.
Frech.: „ut præmisimus", quod verum non est. Iosephus citatur.

Cap. XXI.

1) *Ergo — prudentia.* Aug. C. D. 15_{27}.
2) *Legitur — hominibus.* Alc. Gen. 106.

Cap. XXII. Alc. Gen. 110—112.

Cap. XXIII. Aug. C. D. 15_{27}.

Cap. XXIV. Aug. C. D. 15_{27}.

Cap. XXV.

1) *Igitur — mensis.* Exord. chron. Eus. V.
2) *Quem — scripsit.* Ios. antiqq. 1_5.

Cap. XXVI.

1) *Vixit — quinquaginta.* Hier. quæst. hebr. III_{205}.
2) *Ergo — enim.* Frech.
Iosephus citatur.
3) *Nullus — viventium.* Ios. antiqq. 1_8.

Cap. XXVII.

1) *Filii — ignorantur.* (29) Antiqq. 1_{11}.
Iosephus atque Hieronymus citantur. Nomina propria valde corrupta redduntur ab editione; codex S. Gallensis pæne ubique meliores exhibet lectiones.
2) *Omnes — nominibus suis.* Hier. quæst. hebr. III_{206}.
3) *Fiunt — referuntur.* Aug. C. D. 16_3.
4) *Sem — Sem.* (32) Antiqq. 1_{14}.
5) *Sem — Phalech.* Exord. chron. Eus. X.
De Cainam nihil dicitur. Numeri Frechulphi differunt ab Eusebio centum annis.

Cap. XXVIII.

1) *Iste — vocant.* Antiqq. 1_{14}.
2) *Quoniam — vocabula?*
3) *Deo — fierent.* Antiqq. 1_8.
Verbis: „deo iubente etc." conclusio deest.
4) *Fecit — crescebat.* Antiqq. 1_9.
„Ob quam rem" 33_4 . . . quam Frech. supra omisit.
5) *Unde — terræ.* Aug. C. D. 16_4.
6) *Inde — immutaverunt.* Antiqq. 1_{10}.
7) *Divisiones — diluvium.* Aug. C. D. 16_3.
8) *De — venerunt.* Antiqq. 1_9.
9) *Igitur — terra.* Hier. quæst. hebr. III_{206}.
10) *Et — Babylon.* Aug. C. D. 16_3.
Quod — nominatus est C. D. 16_4.
11) *Et Aracha — sunt.* Hier.
12) *Hunc — tradunt?*

Cap. XXIX. Aug. C. D. 16_8.

Cap. XXX.

1) *Quid — Sem.* Aug. quæst. XVII sup. Gen.
2) *Intuitus — facturum.* Aug. C. D. 16_1.

Cap. XXXI.

1) *Dilatet — Sem.* Alc. Gen. 143.
2) *Quamquam — Sem.* Aug. contr. Faust. 12_{24}.

3) *Sem — interpretatur.* Aug. C. D. 16_2.
4) *Ecce — Iesu.* Aug. contr. Faust. 12_{24}.
Verba fontis nonnullis locis contrahuntur.

Cap. XXXII.

1) *De — maiore?*
2) *Ordo — pronepotis.* Aug. C. D. 16_3.
3) *Scimus — Christus?*

Cap. XXXIII.

1) *Benedictis — silentium est.* C. D. 16_2.
2) *Verum — crediderim?*
3) *Sed — dei.* C. D. 16_2.
4) *Omissis — Seth?*

Cap. XXXIV.

1) *Movet — dei.* C. D. 16_5.
2) *Illud — scribere.* C. D. 16_6.
3) *Venite — regionum.* C. D. 16_4.
4) *Ex — linguarum.* C. D. 16_6.

Cap. XXXV.

1) *Igitur — continetur.* Frech.
2) *Sem — vocant.* Beda.

Oppugnare Noster videtur e Beda pendens dicta Hieronymi in chronico Eusebii, Orosii in prima fronte librorum, Iosephi. Verisimile tamen est ex fonte quodam hæc verba esse hausta.

Cap. XXXVI.

1) *Igitur — ibi?*
2) *Porro — dicit.* Antiqq. 1_{14}.
Citatur Iosephus.
3) *Ex — Charra?*
4) *Hieronymus — sit.* Hier. q. h. III_{207}.
Citatur Hieronymus.

Cap. XXXVII.

1) *Quod — Charra.* (45) Aug. C. D. 16_{15}.
Verbis „quod vero ... “ conclusio deest.
2) *Narratur — migraverit.* C. D. 16_3.
3) *Et — esse.* C. D. 16_{14}.

Cap. XXXVIII. Aug. C. D. 16_{14}.

Addita sunt: quum — quoniam.
ob — annos.

Cap. XXXIX. Alc. Gen. 153. (Cf. Hier. q. h.)

Cap. XL. Alc. Gen. 156. (Cf. Hier.)

Cap. XLI. (Cf. Hier.)

1) *Quœritur — iuvenes.* Alc. Gen. 162.
2) *Et — procreatur.* Alc. Gen. 163.

Cap. XLII.

1) *Melchisedek — proferantur.* (50) Hier. Euagrio $III_{38.39}$.
Hier. verba: „Iosephus et nostrorum omnes“ Frech. non mutavit.
2) *Apostolus — matre.* Alc. Gen. 164. (Cf. Hier. quæst. h.)

Sequuntur capita ex codice S. Gallensi descripta.

Cap. XLIII. Aug. C. D. 16_{27}.

(†) Item potest movere, quomodo intellegi oporteat, quod hic dictum est: „masculus qui non circumcidetur [1]) carne præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipavit,“ cum hæc nulla culpa sit parvuli, cuius dixit animam perituram, nec ipse dissipaverit testamentum dei [2]), sed maiores qui eum circumcidere non curarunt [3]): nisi quia etiam parvuli, non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum generis humani originem omnes in illo testamentum dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe adpellantur testamenta dei exceptis illis duobus magnis vetere et novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est: qua die ederitis, morte moriemini. Unde scriptum est in libro qui ecclesiasti(††)cus adpellatur: omnis caro sicut vestis veterascit [4]). Testamentum enim a sæculo: morte morieris*). Cum enim lex evidentior postea data sit et dicat apostolus: „ubi autem non est lex nec prævaricatio“: quo pacto in psalmo quod legitur, verum est: „prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ“, nisi quia omnes legis [5]) alicuius prævaricatæ sunt rei? **) Quam ob rem, si etiam

(†) Pag. 85 lin. 18 seqq. Cod. S. G.
(††) Pag. 87 (pag. 86 a literis vacua).

Cod. S. G. [1]) Pr. m.: circumcidetur carnem; corr. circumcidet carnem.
[2]) dei. Sed ...
[3]) curarunt. Nisi ...
[4]) veterescit.
[5]) Pr. m.: leges; corr. legis.

Adnotationes. Interpunctio saepe falsa, quae quin librariorum sit, non dubito. Quare illam, ubi sensus verborum postulabat, mutavi.
*) Aug.: „morte mori eos, qui transgrediuntur praecepta dei.“ Quae verba bene intelligimus, id vero, quod Frech. dicit, prorsus inutile videtur.
**) Frech. omittit: „qui aliquo peccato tenentur obstricti“, quae verba ad explanandam sententiam necessaria sunt.

parvuli, quod vera fides habet, nascuntur[1]) non proprie, sed originaliter peccatores[2]), unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profecto eo modo, quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur, ut verum sit utrumque quod scriptum est: et prævaricatores æstimavit omnes peccatores terræ; et: ubi lex non est, nec prævaricatio. Ac per hoc, quia circumcisio signum regenerationis fuit, non[3]) inmerito parvulum propter originale peccatum, quo primum dei dissipatum est testamentum, *) disperdit[4]), nisi regeneratio liberet. Sic intellegenda sunt hæc verba divina, tamquam dictum sit: qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere eius, quia testamentum dissipavit, quando[5]) in adam cum omnibus etiam ipse peccavit. Si enim dixisset: quia hoc testamentum meum dissipavit[6]), nonnisi de ista circumcisione intellegi cogeret. Nunc vero quoniam non expressit, cuiusmodi testamentum parvulus dissipaverit, liberum est intellegere de illo testamento dictum, cuius dissipatio pertinere possit[7]) ad parvulum.

Cap. XLIV. Alc. Genes. 165.

Damascus eliazer, de quo dixit abraham: heres meus erit. Filius enim procuratoris abrahæ fuit, qui postea, ut aiunt, damascum condidit et nomen civitati dedit regnumque in ea obtinuit[8]).

Cap. XLV. Alc. Gen. 166.

Num quid convenit fidei abrahæ, ut signum quasi dubius quæreret a domino dicens: domine deus, unde scire possum, quod possessurus sim terram hanc? Non quasi dubius, an ea[9]) fieret, de promissione dei, sed quomodo futurum esset exquirens.

Cap. XLVI.

Alc. Gen. 168 (Cf. Aug. quæst. 47 in exod.)

Quid est quod dictum est ad abraham: scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subicient eos servituti et affligent quadringentis annis? Unde isti quadringenti conputati sunt anni servitutis? Non sic accipiendum est, tamquam in illa durissima servitute quadringentis annis dei populus fuerit, (†) sed quia scriptum est: in isaac vocabitur tibi semen. Ergo ex anno nativitatis isaac usque ad annum egressionis ex ægypto conputantur anni quadringenti quinque. Cum ergo de quadringentis triginta detraxeris XXV, qui sunt a promissione usque ad natum isaac,[1]) non mirum est, si quadringentos et quinque annos summam solidam numeri quadringentos voluit adpellare scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut, quod de summa perfecti numeri paululum excrescit, aut infra est, non conputetur. Non itaque quod ait: „in servitutem redigent eos et nocebunt illis" ad quadringentos annos referendum est, tamquam per tot annos eos habuerint in servitute, sed referendi sunt quadringenti anni ad id, quod dictum est: „peregrinum erit semen tuum in terra non propria,"[2]) quia sive in terra chanaan sive in ægypto peregrinum erat illud semen, antequam hereditatem sumerent terram ex promissione dei, quod factum est, postquam ex ægypto liberati sunt; ut hiperbaton hic intellegatur et ordo verborum sit ita: „sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis,"[3]) illud autem interpositum intellegatur: „et in servitutem redigent eos et nocebunt illis": ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte summæ huius, hoc est, post mortem ioseph factum est, ut in ægypto populus dei duram perageret servitutem.

Cap. XLVII.

1) *Quare — ægypti.* Alc. Gen. 169.

2) *Quod — ægypto.* Hier. Damaso III_{35}.

„naason princeps iuda" Alc.; nam Hier.: „naason princeps tribus iuda". — In utroque fonte de eadem re agitur, uterque Nostro præsto est.

Quare dictum est in genesi de filiis abraham: quarta progenie revertentur huc, et in exodo legitur: quinta generatione ascenderunt filii israhel de terra ægypti? *Quod* in utroque divina scriptura vera reperitur. Egressi sunt itaque quarta generatione filii israhel de terra ægypti. Replica genealogiam levi. Levi genuit caath,[4]) caath genuit amram, amram genuit aaron, aaron genuit eleazar, eleazar autem genuit finees. Caath cum patre suo levi ingressus est ægyptum. Rursum eleazar cum patre suo aaron egressus est ab ægypto. A caath usque ad eleazar conputantur generationes[5]) quattaor.

Cod. S. G. [1]) nascuntur praevaricatores.
[2]) peccatores. Unde ...
[3]) et non.
[4]) Pr. m.: disperdit; corr. disperdat.
[5]) dissipavit. Quando ...
[6]) dissipavit. Nonnisi ...
[7]) Pr. m.: posset; corr.: possit.
[8]) Pr. m.: obtinuit; corr. optinuit.
[9]) antea. Apud Alc. legitur: dubius de promissione dei, anne fieret, sed — exquirebat.

Adnotationes. *) Deest substantivum „generatio", quo omisso sententia sensu caret.

(†) Pag. 18.

Cod. S. G. [1]) isaac. Non mirum.
[2]) propria. Quia.
[3]) annis. Illud ...
[4]) Pr. m.: gath, quae postea caath; corr. caath.
[5]) Deest substantivum : generationes.

Quod autem secundum exodum quinta generatione egressi sunt filii israhel de terra ægypti, tribus tibi iudæ ordo numeretur. Iudas genuit phares, phares genuit esrom, esrom genuit aram, aram genuit aminadab, aminadab genuit naason, naason genuit salmon. Phares cum patre suo iuda ingressus est ægyptum, naason princeps iuda in deserto describitur, cuius filius salmon terram repromissionis introit. Conputa a phares (†) usque ad naason et invenies generationes quinque; potest etiam interpretari, ut alia translatio *) habet: armati ascenderunt filii israhel ex ægypto.

Cap. XLVIII. Alc. Gen. 170.

Semini tuo dabo terram hanc a fluvio ægypti usque ad flumen eufraten. Non ergo a flumine magno ægypti, hoc est nilo, sed a parvo, quod dividit inter ægyptum et palæstinam, ubi est civitas rinocarura.

Cap. XLIX. Alc. Gen. 171.

Quomodo defenditur abraham adulterii reus non esse, dum vivente legitima uxore coniunctus est ancillæ suæ? Necdum promulgata erat unius uxoris evangelica lex. Habuit quoque promissionem a deo multiplicandi seminis sui, sed necdum sciebat ex qua uxore: cui postea addictum est, de sara habere filium; nam propterea sic propagandi voluntas pia fuit. Sed concumbendi voluntas libidinosa non fuit. Etiam et sara prolem quam de se habere non potuit, de ancilla habere voluit. Consentiebat uterque in facto, quia uterque saram sterilem esse sciebat.

Cap. L.

1) *Quomodo — omnibus.* Alc. Gen. 172. (Cf. Hier. q. h. III_{209}.)

2) *Donec — tempore?*

Quomodo manus omnium contra ismahel, vel manus eius contra omnes? Invenit enim angelus domini agar super fontem aquæ in deserto in via assur [1]), quæ per heremum ducit ad ægyptum et vocavit nomen eius ismahel, quia exaudivit dominus humilitatem eius. Ismahel interpretatur exauditio dei. Hic erit ferus homo, manus eius super omnes et manus omnium super eum et contra faciem omnium fratrum [2]) suorum habitabit. Significat autem semen eius habitaturum in heremo, id est saracenos vagos incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere iungitur, incursabant et inpugnabantur ab omnibus, *donec* maximam partem miseri orbis sibi subicerent, ut in hoc præsenti liquet tempore.

(†) Pag. 39.

Cod. S. G. [1]) Pr. m.: assur, quod Alc.; corr.: sur, quod Hier.
[2]) fatrum.

Adnot. *) alia translatio id. e. LXX.

Cap. LI. Alc. Gen. 173.

Quæ igitur littera adiecta est nomini abram et sari, vel quæ [1]) causa inmutationis nominis illis fuit? Dixit dominus ad abram: ecce testamentum meum tecum et eris pater multitudinis gentium et non vocabitur nomen tuum abram, sed erit nomen tuum abraham, quia patrem multarum gentium posui te. Dicunt autem hebrei, quod ex nomine suo deus, quod apud illos tetragrammum est, e *) litteram abrahæ et saræ addiderit. Dicebatur enim primum abram (†), quod interpretatur pater excelsus, et postea vocatus est abraham, id est pater multarum. Nam „gentium" non habetur in nomine, sed subauditur. Nec mirandum, quum apud grecos et quosdam a littera videatur addita. Nos e litteram hebream additam dixerimus. Idioma enim linguæ hebreæ [2]) est per e quidem scribere, sed per a legere, sicut econtra a litteram sæpe per e pronuntiant. Et dixit deus ad abraham: sari uxor tua non vocabitur sari, sed sara erit nomen eius. Errant, qui putant, primum saram per unum r scriptum fuisse et postea ei alterum r additum, quia r apud grecos centenarius numerus est. Sari igitur primum vocata est per sin, res, iod: sublato iod, id est iota, addita est e, quæ per a legitur et vocata est sara. Causa autem nominis inmutati hæc est, quod antea dicebatur princeps mea, unius tantum modo domus materfamiliæ; postea vero dicitur absolute princeps.

Cap. LII. Alc. Gen. 174.

Quare abraham circumcisionem accepit? Idcirco abrahæ circumcisio conmendata est, ut sub lege esset, sicut et adam, ne de ligno manducaret. Quæ præcepta causa probationis eis data sunt [3]), ut si oboedirent, dignam reciperent remunerationem **). Credens enim abraham filium se habiturum, per cuius generationem omnibus gentibus benedictio futura esset et in cuius nepotibus castitatis et sobrietatis unicum mansisset exemplar. Unde et in ea parte corporis signum fidei accepit, unde filius fidei, non carnis, nasciturus erat: nec truncata corporis parte deformior, sed fidei in deum signo gloriosior. Igitur pro deo aliquid perdere lucrum est, non damnum. Ita abraham fidei suæ signum accipiens non deformatus est, sed melioratus. Si enim adam pactum

(†) Pag. 40 Cod.

Cod. S. G. [1]) velque.
[2]) hebrea.
[3]) sunt. Ut . . .

Adnot. *) Litera hebraica ה (he) quae in quaest. hebr. Hier. legitur, in Mss. Alcuini in vocalem e mutatur. Eum secutus est Noster.
**) Verba: „quae praecepta — remunerationem" a Frechulpho amplificata videntur. Apud Alc. legimus: manducaret, ut comprobaretur, si compleret hoc an non."

dei custodisset, non abraham hoc pactum accepisset; sed quia ille in hoc membro culpam inoboedientiæ primo agnovit, decuit ut iste in hoc membro signum oboedientiæ secundo accepisset: ut ostenderetur, oboedientes quandoque generasse filios ad vitam, dum olim prævaricatores generarunt ad mortem.

Cap. LIII.

1) *Numquid — ridebunt.* Alc. Gen. 175.

2) *Quare — dubitavit.* Alc. Gen. 176.

Numquid dubitanti animo dixit abraham: putasne centenario nascetur filius et sara nonagenaria pariet? Non verba hæc dubitantis diffiden(†)tiam ostendunt, sed admirantis gaudium. Ideo pro gaudio ridentis abrahæ filius dicebatur isaac. Nam risus iste in bono accipi debet [1]), ut in evangelio: beati qui lugent nunc, quoniam ipsi ridebunt. *Quare* autem saram ridentem redarguit dominus, cum et abraham riserit et illum non redarguit? Quia illius risus admirationis et lætitiæ fuit [2]), saræ autem dubitationis et diffidentiæ, quod ab illo diiudicari [3]) potuit, qui corda hominum novit. Unde hæc eadem sara ridens corripitur, correpta protinus fecundatur et contra spem ex divina promissione accepit, quod habituram se ex humana ratione dubitavit.

Cap. LIV.

1) *Quæritur — ministrantium.* Alc. Gen. 178.

2) *Quare — est.* Alc. Gen. 182.

Quæritur, cum tres viri essent, qui abrahæ adparuerunt, quomodo singulariter dominum adpellet dicens: domine si inveni gratiam ante te. Igitur in angelis dominum sentiens domino potius quam angelis loqui elegit [4]). Aliquando imaginibus et ante corporeos oculos ad tempus ex aere adsumptis per angelos loquitur dominus, sicut nunc ad abraham, qui non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere et eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim angeli, cum quædam nobis in terra nuntiant, ad tempus ex aere corpus adsumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non adparerent, nec cibos cum abraham sumerent, nisi propter nos solidum aliquid ex cælesti elemento gestarent. Nec mirum, quod illic ipsi qui suscepti sunt, modo [5]) angeli, modo dominus vocantur. Nam angelorum vocabulo exprimuntur, quia exterius ministrabant. Ex adpellatione „dominus" ostenditur, qui eis interius præerat, ut per hoc

(†) Pag. 41.

Cod. S. G. [1]) debet. Ut...
[2]) fuit. Sarae...
[3]) diiudicare.
[4]) elegit, aliquando.
[5]) sunt. Modo.

præsidentis imperium et per illud claresceret officium ministrantium. *Quare* eos abraham similiter et loth humano cibo vesci putabant, si deum intellexerunt vel angelos esse? Fortasse prius homines esse arbitrati sunt, in quibus dominum loqui intellexerunt; quibusdam divinæ maiestatis existentibus et adparentibus signis postea fuisse angelos cognoverunt, cum eis videntibus in cælum issent. Sed intuendum est hic, quantum bonum sit hospitalitas; hospitalem domum angeli ingressi sunt, clausas hospitibus domos ignis ingressus est.

Cap. LV. Alc. Gen. 196.

(†) De quo ludo arguit sara ismahel filium agar? Dupliciter itaque hoc ab hebreis exponitur sive quod idolum vel idolothitum fecerit, iuxta illud quod alibi scriptum est: sedit populus comedere et bibere et surrexerunt ludere; sive quod adversum isaac quasi maioris ætatis ioco sibi et ludo primogenita vindicaret [1]). Quod quidem sara audiens non tulit et hoc ipsius adprobatur sermone dicentis: eice ancillam hanc cum filio suo; non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo isaac.

Cap. LVI.

Alc. Gen. 197. (Cf. Hier. q. h. III_{11}.)

Post quot annos puer ablactari solet? Inter hebreos autem varia opinio est, adserentibus aliis quinto anno, aliis duodecimo ablactationis tempus inpleri.

Cap. LVII.

1) *Si — adfectus.* Alc. Gen. 198.

2) *Hic — curabimus.* Frech.

Si tredecim annorum erat ismahel, quando natus est isaac, adiunctisque ætati ablactationis annis, quomodo convenit tantæ ætatis adulescentem matris sedisse cervicibus, dum dicitur: sumpsit abraham panes et utrem aquæ et dedit agar ponens super humerum eius et parvulum et dimisit eam? Omnis igitur filius secundum idioma linguæ hebreorum ad conparationem parentum infans vocatur et parvulus et est sensus: posuit ergo abraham panes et utrem super humerum agar et hoc facto dedit puerum matri, hoc est, in manum eius eum tradidit et ita emisit e domo. Quod et in sequentibus declaratur, dum dicitur: „surge, tolle puerum et tene manum eius", non ut eum de terra velut iacentem tolleret, sed quasi comitem manu teneret. Quod autem manu parentis tenetur, sollicitus monstratur adfectus. *Hic* enim finem primus nostri operis liber expectat, qui hystoriæ veritatem partim in se continet ab origine mundi usque ad nativitatem abrahæ, duas scilicet

(†) Pag. 42.

Cod. S. G. [1]) indicaret.

conplexus [1]) ætates, adiunctis etiam solutionibus quæstionum, quas difficiles esse perspeximus, quantum adtinet [2]) ad rei gestæ narrationem. In sequentibus vero libris hystoriæ veritatem secundum propositum studii nostri indagare curabimus.

LIBER II.

Incipit prologus libri secundi.

Primus itaque institutionis nostræ libellus continet hystoriæ veritatem, quasdam etiam adsertiones quorundam antiquorum a protoplasti conditione usque ad nativitatem (†) abrahæ scriptorum, quæ scilicet nativitas abrahæ XLIII regnante nino evenit anno; inde autem subputando sursum usque ad plasmationem [3]) adæ colliguntur anni MMMCLXXXIIII [*]). Quæ autem in tanto annorum spatio gesta et memoria invenire potui digna, in præfato breviter inserui libello; insuper etiam quæ difficilia videntur in veridici legislatoris scriptis, quantum ad hystoriæ rationem adtinet, elucidare secundum traditiones venerabilium curavi auctorum. Nunc autem, velut in ipso cœpti operis exordio pollicitus sum, a nativitate abrahæ per patriarchas, iudices, reges atque sacerdotes, qui populo præfuerunt dei et a nino atque semiramide [4]), eius uxore, ac deinde per successores eorum, tam qui assyriis imperaverunt, quam etiam qui huius dignitatem regni in suas transtulerunt nationes et in ipsis regnaverunt usque ad augusti cæsaris monarchiam et christi nativitatem annorum seriem et ea quæ putavit digna antiquitas memoria, ex opusculis auctorum prudentium libando domino adnuente decerpere conabor: ita videlicet ut quamvis ordo annorum in regno custodiatur assyriorum seu in succedentibus, tamen ea quæ celebriora in antiquorum habentur monimentis et inmortali memoria per omnia frequentantur tempora, seu bellorum casus sive exordia mutationesque regnorum quique etiam virtute aut summo sapientiæ studio viguerunt, suis quippe congruis ex latere inserantur locis. *Explicit prologus.*

Incipiunt capitula libri secundi.

I. Quod tria regna eminentiora erant, quando abraham natus est: assyriorum, sicioniorum, ægyptiorum et quod mundum in tres partes diviserunt, id est, in asiam, europam et africam.

II. De nino, beli filio, qui externa regna demoliens asiam occupavit. Quo regnante abraham natus est.

III. De semiramide, quæ post mortem viri sui nini annis XLII regnavit et quæ tunc contigerint [1]). Qua etiam regnante abraham adolescit.

IIII. Quod ninias tertius assyriorum rex fuerit. Quo regnante repromissiones ad abraham factæ sunt. Perditio etiam sodomitarum et quid gentium scriptores inde senserint [2]).

V. Arius, assyriorum quartus. Sub quo centenarius abraham genuit isaac et de opinione quam primus abraham repperit in deum et de astrologia quam ægyptiis primus tradidit. Quid etiam de eo hystoriographi gentium scripserint [3]).

VI. Quintus assyriorum aralius. Quo regnante nascuntur isaac sexagenario gemini filii (†) abraham avo eorum adhuc vivente.

VII. Assyriorum sextus xerxes. Quo regnante abraham obiit, cum esset annorum CLXXV. Iacob etiam in mesopotamiam solus descendit. Inachus autem primus apud argos regnavit et ea quæ de iside lectitantur.

VIII. Assyriorum septimus armamitres. Quo regnante iacob a servitute recedens revertitur ad patrem in terram chanaan et quid de foroneo et niobe et ea quæ tunc contigerunt, senserint.

VIIII. Assyriorum octavus belochus. Quo regnante ioseph somnia sua vidit atque ogium cataclismum contigit et ea quæ de minerva traduntur.

X. Assyriorum nonus baleus. Quo regnante apis in ægypto serapis est nuncupatus. Isaac etiam moritur CLXXX vitæ suæ. Ioseph a fratribus venditur et quid de eo gentium scriptores senserint.

Incipit liber secundus.

Cap. I. Aug. C. D. 16_{17}.

Igitur eo tempore quo abraham natus est, eminentia gentium regna erant tria: sicioniorum [4]), ægyptiorum, assyriorum. Sed assyriorum multo erat potentius atque sublimius. Nam rex ille ninus, beli filius, excepta india universæ asiæ populos subiugaverat. Asiam dico, non illam partem, quæ huius

---

(†) Pag. 43.

Cod. S. G. [1]) Pr. m.: conplexus; corr.: complexus.
[2]) Pr. m.: adtinet; corr.: attinet.
[3]) Pr. m.: phasmationem; corr.: plasmationem.
[4]) semeramide, postea autem semiramide.

Adnot. [*]) Oros. 1_1.

(†) Pag. 44.

Cod. S. G. [1]) contigerunt.
[2]) senserunt.
[3]) scripserunt, postea autem (c. 10) senserint.
[4]) sycioniorum. Cuius substantivi, quum vario modo in codice scribatur, crebiorem recepi formam.

asiæ una provincia est, sed eam quæ universa asia nuncupatur; quam quidam in altera duarum, pleriqui autem in tertia totius orbis parte posuerunt; ut sint omnes: asia, europa et africa. Quod non æquali divisione fecerunt. Namque ista quæ asia nuncupatur, a meridie per orientem usque [1]) ad septemtrionem pervenit, europa vero a septemtrione usque ad occidentem atque inde africa ab occidente usque ad meridiem. Unde videntur orbem dimidium duæ tenere europa et africa, alium vero dimidium sola asia. Sed ideo illæ partes factæ sunt, quia inter utramque*) oceanus ingreditur, quicquid aquarum terras interluit et hoc mare magnum nobis facit[2]); quapropter in [3]) duas partes orbe diviso orientis et occidentis, asia erit in una, in altera europa et africa. Quam ob rem trium regnorum, quæ tunc præcellebant, sicioniorum [4]) non erat (†) sub assyriis, quia in europa sunt. Aegyptiorum autem quomodo eis non subiacebat, a quibus tota asia tenebatur, solis indis ut perhibetur exceptis? In assyria igitur prævaluerat dominatus inpiæ civitatis. Huius caput erat illa babylon, cuius terrigenæ civitatis nomen aptissimum est, id est confusio. Ibi autem ninus regnabat post mortem patris sui beli, qui primus illic regnaverat LXV ann. Filius vero eius ninus, qui defuncto patri successit in regno, LII regnavit annis et habuit in regno XLIII, quando natus est abraham, qui erat annus circiter millesimus ducentesimus ante conditam romam veluti alteram in occidente babyloniam.

Cap. II.

1) *Ergo — vocant.* Eus. chron. 1 (Cod. Rav.).
1) *Propagandæ — interfecit.* Or. 1_4.
3) *De quo — ampliavit?*
4) *Ninus — interiit.* Or. 1_4.
5) *Quod — regna?*
6) *Refert — subegit.* Aug. C. D. 4_6.
7) *Hinc — fuerunt?*
8) *Ergo — imperabat.* Eus. chron. præf. (pg. 19).
9) *Cuius — nonaginta.* Eus. chron. 1 (Rav.).

(†) Pag. 47.

Cod. S. G. [1]) atque.
[2]) Pr. m.: fecit.
[3]) Pr. m.: nisi duas; corr.: nisi in duas ... Quae lectiones proculdubio fragmenta continent illius constructionis verborum apud Aug.: „si in duas partes orbem dividas."
[4]) syciniorum.

Adnot. *) Non intelligo verba Frech. Cf. Aug.: „ab oceano ingreditur, quicquid aquarum interluit et ab hoc mare magnum nobis facit".

Ergo ninus assyriorum primus rex, beli filius, omnem asiam exceptis indis obtinuit [1]), qui condidit civitatem ninum in regione assyriorum, quam hebrei niniven vocant. *Ipse* etiam *propagandæ* dominationis libidine arma foras extulit cruentamque vitam L annis per totam asiam bellis egit. A meridie atque a rubro mari surgens sub ultimo septemtrione euxinum pontum vastando perdomuit, scythicamque barbariem, adhuc tunc inbellem et innocentem, torpentem excitare sævitiam, vires suas nosse et non lac iam pecudum, sed sanguinem hominum bibere ac postremum vincere, dum vincit, edocuit. Novissime zoroastrem, bactrianorum regem, eundemque magicæ, ut ferunt, artis repertorem pugna obpressum [2]) interfecit. *De* quo zoroastre [3]) aristoteles scribit, quod vicies centum milia versuum ab ipso condita indiciis [4]) voluminum illius declarentur. Cuius quippe artem multa post sæcula democritus ampliavit. *Ninus* autem postquam deficientem a se obpugnat urbem [5]) sagittæ ictu interiit. *Quod* ergo a nino, ut in superiore libro diximus, gentium scriptores suas inchoasse historias, qui primus rex fuisse assyriorum fertur, ob hoc nequaquam datur intellegi reges ante eum non fuisse, ut quibusdam placuit, sed quia ipse cupiditate regnandi allectus externa primus demolivit [6]) regna. *Refert* enim iustinus de eo, qui trogum pompeium est secutus*), in hunc modum: principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed expectata in bonos moderatio provehebat; populi nullis legibus tenebantur; fines imperii tueri magis quam proferre mos erat. Intra suam cuique patriam regnum finiebatur. Primus omnium ninus, rex assyriorum, veterem et quasi (†) avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis et rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usque libyæ perdomuit. Et paulo post, ninus, inquit, magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmavit. Domitis igitur proximis cum accessione virium fortior ad alios transiret [7]) et proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius orientis populos subegit. *Hinc* apparet, quod augustinus accurate dilucidat, apud assyrios belum prius regnasse et apud sicionios egialeum

(†) Pag. 48.

Cod. S. G. [1]) Corr.: optinuit.
[2]) Corr.: oppressum.
[3]) Pr. m.: zoroastro.
[4]) Pr. m.: inditiis.
[5]) orbem.
[6]) Corr.: demolitus est.
[7]) Pr. m.: transiebat et proxima; corr. II: et cum proxima.

Adnot. *) Ex Aug. citatur „iustinus qui trogum pompeium est secutus". Ipse Frech. citare videtur Augustinum.

unde et egialea nuncupata est. Sed propriis regnis contenti fuerunt. *Ergo* in grecia nondum athenarum adhuc urbs neque argivorum regnum nomen acceperat, solis sicioniis florentibus, apud quos secundus rex europs imperabat. *Cuius* vicesimo secundo regni anno natus est abraham iam ante nino regnante in assyriis. Itaque egialeus primus sicioniis[1]) imperavit annis LII, a quo egialia nuncupatur, ut dixi, quæ nunc peloponensus vocatur. Post quem europs, qui prælatus est titulo. Porro apud ægyptios XVI potestas erat, quam vocant dinastiam. Ab hoc tempore regnaverunt eis thebei annis centum nonaginta.

Cap. III.

1) *Igitur — fieret.* Or. 1_4.
Quæ annis — narrantur. Eus. chron. 10.
2) *Illa — suscepit.* Eus. chron. 20.
3) *Quo — ferunt.* Aug. C. D. 18_2 (ad finem).
4) *Et — nuncupata est.* Eus. chron. 40.
5) *Quo — templum.* Eus. chron. 50.
6) *Semiramis — erat.* Eus. chron. 10.
Quam — fundaverat. Addidit Frech.

Igitur nino mortuo semiramis uxor eius successit, *quæ* annis XLII regnavit, de qua innumerabilia narrantur. *Hæc* namque virum animo, habitu filium gerens avidos iam[2]) usu sanguinis populos cædibus gentium exercuit. Non contenta terminis mulier, quos a viro suo tunc solo bellatore L annis adquæsitos susceperat, æthiopiam bello pressam sanguine interlitam suo imperio adiecit. Indis quoque bellum intulit: quo præter illam et alexandrum nullus intravit. Quod eo tempore ideo crudelius graviusque erat quam nunc est persequi et trucidare populos in pace viventes, quia tunc apud illos nec foris erant ulla incendia bellorum, nec domi tanta exercitia cupiditatum. Hæc libidine ardens, sanguinem[3]) sitiens, inter incessabilia stupra et homicidia, cum omnes, quos regie[4]) accersitos, meretricie[5]) habitos concubitu oblectasset, occideret, tandem filio flagitiose concepto, inpie exposito, inceste cognito, privatam ignominiam publico scelere obtexit[6]). Præcepit enim, ut inter parentes ac filios nulla delata reverentia naturæ de[7]) coniugiis adpetendis, ut cuique libitum esset, liberum fieret. *Illa* namque regnante sicioniorum[8]) tertius[9]) telchin gubernacula regni suscepit. *Quo* regnante usque adeo cum*) illis mitia et læta tempora fuerunt, ut eum defunctum velut deum colerent sacrificando et ludos celebrando, quos ei primitus institutos ferunt. *Et* adhuc ipsa superstite sicioniorum[1]) quartus apis regnat in grecia[2]), a quo apia[3]), (†) quæ nunc peloponensus, prius autem egialia, nuncupata est. *Quo* tempore apud cretam regnavit primus cres indigena. Unde creta dicta a crete indigena, quem aiunt unum curetarum fuisse, a quibus iuppiter absconditus et nutritus est. Hic autem civitatem hignosum**) in creta condidit et cybelæ matris templum. *Semiramis* autem babyloniam, quam prius nebroth fundaverat, instauravit et aggeres propter aquarum inundationem construxit. Sub qua et abraham adolescit in chaldea qui et natione chaldeus erat.

Cap. IV.

1) *Igitur — fuit.* Eus. chron. 50. ***)
2) *Hic — interfecit.* Aug. C. D. 18_2 (ad finem), Eus. chron. 50.
3) *Sub — LII.* Eus. chron. 60.
4) *In — chanaan?*
5) *Qui — CCCCXXX.* Eus. chron. 70.
6) *Cum — dicti.* Eus. chron. 80.
7) *Igitur — inseruerunt?*
8) *Inter — aspectui.* Or. 1_5.
9) *Denique — facie?*

Igitur assyriorum tertius zameis annis XXXVIII. Cujus regni anno XXIII primus annus repromissionis fuit. *Hic* idem zameis derivato[4]) vocabulo a patre ninias est vocatus, filius nini et semiramidis, qui eandem matrem suam inceste cognitam, ut ferunt, interfecit. *Sub* quo sicioniorum quintus regnat telxyon ann. LII. *In* cuius etiam regni anno XXIII abraham septuagesimus quintus fuit, quando egressus de aran lubente domino et ivit in terram chanaan. *Qui* primus annus repromissionis dei est ad abraham. A quo usque ad moysen et egressum gentis hebreorum ex ægypto subputantur anni CCCCXXX. Quorum meminit paulus ita dicens: testamentum confirmatum a deo, quæ post CCCCXXX annos facta est lex, non infirmat ad evacuandam repromissionem. Ipse quoque in exodo moyses his congruens loquitur:

Cod. S. G. [1]) Pr. m.: sitioniis.
[2]) iamque.
[3]) sanguine.
[4]) regiae.
[5]) meretriciae.
[6]) Corr.: optexit.
[7]) et de.
[8]) sicyniorum.
[9]) Pr. m.: tercius.

(†) Pag. 49.
Cod. S. G. [1]) Pr. m.: sicyniorum; corr.: siciniorum.
[2]) Pr. m.: gretia.
[3]) apta.
[4]) dirivato.
Adnot. *) Frech.: cum illis (i. e. Sicyoniis); Aug. ibi.
**) Mirus error! Cf. Euseb.: „Hi Gnoson civitatem in Creta condiderunt".
***) Loci ex Eusebii chronico deprompti ita citantur, ut intra denorum annorum inveniantur spatium.

habitatio autem filiorum israhel, qua habitaverunt in ægypto et in terra [1]) chanaan ipsi et patres eorum, fuerunt anni CCCCXXX. *Cum* vero esset abraham annorum LXXXVI, natus est ei ismahel ex agar ancilla, a quo ismahelitarum genus, qui postea agareni et ad postremum saraceni sunt dicti. *Igitur* cum nonagesimum annum ageret adparuit ei dominus dixitque ad eum: „ego deus omnipotens, ambula coram me et esto perfectus ponesque fœdus meum inter me et te et multiplicabo te vehementer nimis“ et cæteræ repromissiones quæ sequuntur. Insuper ei filium ex coniuge anu ac sterili promisit. Eodem etiam tempore mala, quæ inlaturus sodomitis esset propter eorum scelera, illi innotuit et loth de tanta miseriarum calamitate liberavit. De hac autem civitatum dampnatione [2]) scriptores ethnici quædam suis libris inseruerunt. *Inter* alios etiam cornelius tacitus refert: haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus [3]) habitatos fulminum [4]) ictu arsisse, sed manere vestigia terramque ipsam speciem solidam vimque frugiferam perdidisse. Et cum hoc loco nihil de incensis propter peccata hominum civitatibus quasi ignarus expresserit, paulo post velut (†) oblitus consilii subiecit et dicit: Ergo sicut inclitas [5]) quondam urbes igni cælesti flagrasse consenserim, ita halitu [6]) lacus infici terram et corrumpi reor. Quo dicto invitus licet de exustis urbibus, quæ proculdubio peccatorum noxa conflagraverunt et scisse se et concessisse confessus, palam prodidit non sibi cognitionis fidem defuisse, sed exprimendæ fidei voluntatem: quod nunc a me plenius proferetur. Ergo in confinio arabiæ et palæstinæ, qua dimissi altrinsecus montes subiectis campis excipiuntur, quinque civitates fuere, sodoma, gomorra, adama [7]), soboim et segor. Sed segor ex his parva, illæ amplæ et magnæ, quippe quibus et soli fecunditas suberat et iordanis fluvius per plana diffusus ac peroportune [8]) divisus augmentis ubertatis inpendebatur. Huic universæ regioni bonis male utenti habundantia rerum causa malorum fuit. Ex habundantia [9]) enim luxuria, ex luxuria fœdæ libidines adolevere, adeo ut masculi in masculos operantes turpitudinem, ne [10]) consideratis quidem locis, conditionibus ætatibusque proruerent. Itaque iratus deus pluit super hanc terram ignem et sulphur, totamque regionem cum populis atque urbibus exustam testem iudicii sui futuram æterna perditione dampnavit, ut [1]) nunc quoque adpareat quidem forma regionis, sed inveniatur regio cineris, mediamque [2]) convallem, quam iordanis inrigaverat, nunc mare superfusum tegat, tantumque de rebus, ut putatur, parvis divinæ indignationis accensum est, ut propter hoc, quod illi male utentes bonis fructus miseriarum [3]) nutrimenta libidinum fecerant — terra quoque ipsa, quæ has habuerat civitates, primum exusta ignibus, post obpressa aquis in æternam dampnationem conmuni periret aspectui. *Denique* adhuc in ea divini reliquias ignis et oppidorum quinque videre licet imagines et renascentes in fructibus cineres qui colore quidem sunt edulium [4]) similes, carpentum [5]) vero manibus in fumum dissolvuntur et cinerem. Terræque [6]) quidem sodomiticæ fabula eius modi fidem habet ex facie.

Cap. V.

1) *Igitur — LXXV.* Eus. chron. 90. 100.
2) *Hic — gratiarum.* Antiqq. 1_{15}.
3) *Erat — dubium est.* Antiqq. 1_{16}.
4) *Meminit — abraham.* Antiqq. 1_{15}.
5) *Huic — prædicationem.* Eus. chron. 100.

Igitur assyriorum quartus regnat arius annis XXX. Cuius anno decimo centenarius abraham genuit filium isaac ex libera, cui supervixit annis LXXV. *Hic* namque abraham, dum in omni virtute atque studio sapientiæ vigeret, ut refert iosephus, opinionem, quam in deo cuncti tunc habebant, innovare et inmutare prævaluit. (†) Primus itaque præsumpsit pronuntiare deum creatorem unum esse cunctorum. Reliqua vero licet *) ad felicitatem tendentia per præceptum præbentis singula quæque stare, et non propria subsistere virtute confessus est. Hæc vero coniciebat [7]) per terræ passionem et maris et ea, quæ contingunt circa solem et lunam et ex omnibus, quæ circa cælum semper eveniunt. Virtute enim eis præsente et providentia ordinationis eorum cuncta disponi docebat, quibus quicunque privarentur, manifesti fierent, quod neque ea, quæ ad utilitatem necessaria sunt, sua potestate potuerunt possidere. Quæ scilicet secundum iuventutis

(†) Pag. 50.

Cod. S. G. [1]) in terram.
[2]) Pr. m.: damnatione, quae postea: dampnationem.
[3]) viribus.
[4]) Pr. m.: fluminum, quod ipsa correxit. Corr.: iactu.
[5]) Pr. m.: inditas; corr.: inclytas.
[6]) habitu.
[7]) Pr. m.: gomurra adamae.
[8]) per oportuna.
[9]) Corr.: abundantia.
[10]) Nec consideratis.

(†) Pag. 51.

Cod. S. G. [1]) Ut.
[2]) Mediamque.
[3]) miseriam nutrimento libidinum (Cf. Haverk. Or. 1, n. 25).
[4]) nihil aliud legere potui quam „edulu“.
[5]) Pr. m.: carpentem.
[6]) Corr.: et terrae.
[7]) Pr. m.: quoniciebat.
Adnot. *) Non intelligo illud licet.

fortitudinem ministrantur, cui bonum est solum modo honorem et actionem tribuere gratiarum. *Erat* igitur in admiratione cunctorum tanquam vir sapiens atque paratus non solum ad intellegendum, sed etiam ad satisfaciendum et ad loquendum, quæcunque docere niteretur. Arithmeticam quoque ægyptiis contulit et quæ de astrologia sunt, ipse tradidit. Nam ante adventum abraham in ægyptum hæc ægyptii pænitus ignorabant. A chaldeis enim hæc plantata noscuntur in ægypto. Unde etiam pervenisse ad grecos haud dubium est. *Meminit* autem huius abraham berosus historiographus, non quidem nominans eum, sed ita dicens: post diluvium decima generatione apud chaldeos fuit quidam vir iustus et magnus, in cælestibus rebus expertus. Hecateus[1]) autem etiam memoriam plus aliquid fecit. Librum enim de eo conficiens[2]) dereliquit[3]). Nicolaus vero damascenus quarto historiarum sic ait libro: abraham [*]) is regnavit in damasco, veniens advena cum exercitu de terra, quæ super babylonem dicitur chaldeorum. Igitur post non multum tempus exsurgens etiam de hac regione cum populo suo terram, quæ tunc chananea, nunc[4]) vero iudæa dicitur, habitavit et hi qui de illo multipliciter sunt progeniti. Abraham vero usque nunc in damascena civitate nomen habetur in gloria et vicus ostenditur, qui ab eo habitatio dicitur abraham. *Huic* enim primo omnium prophetarum, ut eusebius dicit, verbum dei in figura adparuit humana, vocationem gentium pollicens, quam in nostro tempore sermo christi deduxit ad finem per evangelicam in omnes gentes prædicationem.

Cap. VI.

1) *Igitur — erat.* Eus. chron. 120.
2) *Huius — iudæi.* Eus. chron. 160.
3) *Avo — agente.* Aug. C. D. 18_3.
4) *Eodem — thurimachus.* Eus. chr. 120. 150.

Igitur assyriorum quintus aralius imperat annis XL. Annus vero a nativitate abrahæ CXX[5]) erat. *Huius* in ultimo regni anno nascuntur isaac sexagenario gemini filii, primus esau, qui et edom, a quo genus idumeorum, secundus iacob, qui postea israhel, (†) a quo israhelitæ, qui nunc iudæi, *avo* eorum abraham adhuc vivente et CLX ætatis annum agente. *Eodem* etiam tempore sicioniis[1]) iam sextus egidius regnat, cui succedit thurimachus.

Cap. VII.

1) *Ergo — CLXXV.* Eus. chron. 160. 170.
2) *Quo — descendit?*
3) *In — colunt.* Eus. chron. 160.
4) *Quæ — sententiæ?*
5) *Fluvius — adpellatur.* Eus. chron. 160.
6) *Quoniam — adpellatur?*
7) *Quamvis — censuerunt.* Aug. C. D. 18_3.
   Eisque — instituit?
8) *Igitur — volunt?*
9) *Eodem — vocaverunt.* Eus. chron. 180.

Ergo assyriorum sextus xerxes, qui et baleus, annis XXX. Nativitatis abrahæ CLX annus erat. In huius regni anno XV fit centesimus repromissionis, in quo et abraham moritur, cum esset annorum CLXXV. *Quo* etiam regnante iacob esau fratrem fugiens solus in mesopotamiam descendit. *In* initio autem huius balei principatus primus apud argos regnare cœpit inachus, qui annis quinquaginta eo potitus est regno, a quo argivorum regnum initium sumpsit. Huius namque regis inachi filia fuit io, quam ægyptii mutato nomine isidem colunt. *Quæ* ex grecia[2]) in ægyptum veniens ægyptiis, ut ferunt, litteras tradidit[3]), alias quidem sacerdotibus, alias vero vulgo, ut et ab eis tantos promeruit honores, ut si quis eam hominem fuisse diceret, capitali subiaceret sententiæ. *Fluvius* etiam apud argos inachus a patre eius inacho dictus est. A filia ione bosforus[4]) adpellatur, *quoniam* iuppiter, ut dicitur mixtus est ei. Qua de re in bovem versa bosforus adpellatur. *Quamvis* alii scribant ex æthiopia in ægyptum hanc venisse reginam et quod late iusteque imperaverit, eisque multa conmoda et litteras instituerit: unde honorem illi habitum esse divinum, postquam ibi mortua est, censuerunt. *Igitur* isidem uxorem hospris augustinus[5]) [*]) in libro de civitate dei dicit et de parentibus eorum, qui omnes reges fuisse scribuntur. Quibus parentibus suis illa cum sacrificaret, invenit hordei segetem atque inde spicas marito regi et eius consiliario demonstravit[6]). Unde eandem et cererem esse volunt. *Eodem* etiam tempore

(†) Pag. 52.

Cod. S. G. 1) Iecataeus (ex corrupt. lit. H).
2) Pr. m.: confitiens.
3) Pr. m.: dereliquid.
4) Nunc.
5) Corr.: $C\overset{ccc}{\lambda}X$.

Adnot. *) Forsitan erraverit librarius; apud Iosephum legitur: abrahamus. — Citantur a Frechulpho Iosephus atque Eusebius.

Cod. S. G. 1) sycioniis.
2) Pr. m.: gretia.
3) tradidit. Alias ...
4) Pr. m.: bosferus.
5) agustinus.
6) a recentiore manu superscriptum est „mercurio“.

Adnot. *) Frech. Augustinum citat, apud quem verba quae huc spectent non inveni.

apis in ægypto primum deus putatus est, quem quidam serapim [1]) vocaverunt.

Cap. VIII.

1) *Assyriorum — conprobantur.* Eus. chr. 190.
   Quo — chanaan?
   quam — tenuerunt. Eus. chr. exord. (pag. 47).
2) *Sicioniorum — accidissent.* Eus. chron. 200. 210.
3) *Niobæ — vocant.* Eus. chron. 220.
4) *Contra — ceperunt.* Or. 1_7.
5) *Tunc — thessalia.* Eus. chron. 220.

Assyriorum septimus armamitres annis XXXVIII. Nativitatis abrahæ CXC, repromissionis autem CXV annus erat. *Quo* regnante iacob a servitute soceri laban recedens ad patrem revertitur in terram chanaan. *In* huius itaque exordio regni ægyptiorum XVII dinastia erat, *quam* thebei hactenus per annos CXC tenuerunt. *A* quo tempore eis regnaverunt pastores annis CIII. Ergo reges ægyptiorum pastores conicimus nuncupatos (†) propter ioseph et fratres eius, qui in principio pastores descendisse in ægyptum conprobantur. *Sicioniorum* [2]) octavus leucippus, argivorum autem secundus foroneus reges erant. Hic namque foroneus, inachi filius et niobæ, primus leges iudiciaque constituit. Quidam huius filiam nioben arbitrantur. Horum temporum quasi valde antiquorum plato in timeo *) meminit: et aliquando volens eos provocare in sermones de temporibus antiquis, quæ cuique civitati apud veteres accidissent. *Niobæ* [3]) autem omnium mulierum primum mixtus est iuppiter, ut greci perhibent, de qua nascitur apis, quem serapin [4]) vocant. *Contra* hunc autem foroneum argivorum regem et parpasios thelchises et cariathii pervicax prælium ancipiti spe sine fructu victoriæ gesserunt. Idemque thelchises **) post paululum bello victi, patriæ profugi, ignarique rerum credentes, quia se paenitus [5]) a congressu totius humanæ habitationis abstraherent, rhodum insulam, quæ ophiussa antea vocabatur [6]), quasi tutam a possessione ceperunt [1]). *Tunc* thessalus [2]), greci filius, regnabat in thessalia [3]).

(†) Pag. 58.

Cod. S. G. [1]) Pr. m.: seraphim.
[2]) Pr. m.: Syciniorum; corr.: Sycioniorum.
[3]) primo scriptum erat „niobae“ quod nescio quo casu in „niobe“ mutatum est.
[4]) litera h erasa est.
[5]) Corr.: penitus.
[6]) Pr. m.: vocabant.

Adnot. *) Ex Eusebio citatur „plato in timeo“. Frechulphus autem, quum non omnia ab Eusebio citata verba descripserit, nihil dicit. Cf. Eus.: accidissent, de Phoroneo, qui primus hoc nomine appellatus est et Niobe et his quae post diluvium fuere.
**) Inter „telchises“ et „post“ desiderantur verba: „et Carpathii“ quibus omissis verborum constructio intelligi nequit.

Cap. IX.

1) *Assyriorum — nuncupaverunt.* Eus. chron. 220.
   hoc — patri?
2) *Unde — adplicandum.* Aug. C. D. 18_8.
3) *In — dedit.* Or. 1_7.
4) *Id — cataclismum.* Frech.
5) *Eodem — erat.* Eus. chron. 250.
6) *Diluvium — fertur.* Eus. chron. 260 (Codd. Scal. & Rav.).

Assyriorum octavus belochus annis XXXV. A nativitate abrahæ CCXXVIII *) erat, repromissionis autem CLIII. *Hoc* regnante ioseph adolescens [3]) somnia sua fratribus narrat et patri. *Ogius* **) autem in attica eleusinam condidit, quæ antiquitus vocabatur acte et alias plurimas civitates. Cuius temporibus apud lacum tritonidem virgo adparuit, quam greci minervam nuncupaverunt. *Unde* et tritonia nuncupata est, multorum sane operum inventrix et tanto proclivius dea credita, quanto minus origo eius innotuit. Quod enim de capite iovis nata canitur, poetis et fabulis, non historiæ rebusque gestis est adplicandum. *In* achaia quippe sævum diluvium vastatione plurima totius pæne provinciæ [4]) fuit; quod quia ogii, qui tunc eleusinæ conditor et rex erat, temporibus effusum est, nomen loco ac tempori dedit, *id* est ogigium cataclismum. *Eodem* etiam tempore sicioniorum [5]) VIIII rex messapus erat. *Diluvium* etiam ægypti tunc accidisse fertur.

Cap. X.

1) *Igitur — condidit.* Eus. chron. 260. 270.
2) *Qui — taceretur.* Aug. C. D. 18_3.
3) *Apis — nomen.* Aug. C. D. 18_6.
4) *His — habentem.* Eus. chron. 280 (Codd. Scal. & Rav.).
5) *Sexto — agens.* Eus. chron. 260.
6) *Qui — CXXX?*

Cod. S. G. [1]) Pr. m.: coeperunt.
[2]) Pr. m.: thesalias, thesalia.
[3]) Corr.: adulescens.
[4]) Pr. m.: provintiae.
[5]) syciniorum.

Adnot. *) Differunt numeri Frech. a vulgatis uno anno.
**) Lectio Ogius, num ex errore Frechulphi an librarii fluxerit nescio. Librarii propterea esse videtur, quia postea legimus ogigium cataclismum. Nomina autem propria aliis deficientibus codicibus non correxi.

Igitur assyriorum nonus baleus ann. LII. A nativitate abrahæ CCLIII *), repromissionis vero CLXXXVIII erat annus. Argis tertius apis regnat. Aiunt hunc apim esse serapim; qui cum fratrem egialeum regem fecisset achaiæ, ipse ad ægyptum (†) navigavit et memfim in ægypto condidit. *Qui* cum ibi mortuus fuisset, factus est serapis omnium maximus ægyptiorum deus. Nominis autem huius, cur non apis etiam post mortem, sed serapis adpellatus sit, facillimam rationem varro **) reddidit. Quia enim archa [1]), in qua mortuus ponitur, quod omnes iam sarcofagum vocant, sor dicitur grece et ibi eum venerari sepultum cœperant [2]), prius quam templum eius esset exstructum: velut soros et apis sorapis primo, deinde una littera, ut fieri adsolet, conmutata serapis dictus est. Constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem fuisse dixisset, capitalem penderet pœnam. Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebantur isis et serapis, erat [3]) etiam simulacrum [4]), quod digito labiis inpresso admonere videretur, ut silentium fieret: hoc significare idem varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur. *Apis* ergo rex non ægyptiorum, sed argivorum mortuus est in ægypto. Huic filius argus successit in regnum, ex cuius nomine argi et ex hoc argivi adpellati sunt. Superioribus autem regibus nondum vel locus vel gens habebat hoc nomen. *His* regnantibus CLXXX vitæ suæ anno isaac moritur, relinquens filium iacob ann. CXX habentem. *Sexto* autem regnante baleo anno ioseph septimum decimum agens [5]), *qui* instimulante invidia a fratribus venditur mercatoribus, a quibus in ægyptum deportatur. In qua domino miserante secundus a rege constituitur, quem pater iacob anno secundo famis cogente penuria cum filiis atque omni domo secutus descendit in ægyptum, cum esset annorum CXXX. De hoc autem . . . .

Sequuntur capita editionis.

(Cap. I.)

7) *De — scripserunt.* Frech.

8) *Pompeius — darent.* Or. 1_8.

(Citatur ex Orosio: Pompeius historicus eiusdemque breviator Iustinus.)

Verba ad finem: „Semina darent“ miro modo a Nostro mutata videntur.

(†) Pag. 54.

Cod. S. G. [1]) Corr.: arca.

[2]) Pr. m.: ceperant.

[3]) serapis. Erat . . .

[4]) Corr: simulachrum.

[5]) Pr. m.: hagens.

Adnot. *) Differunt numeri Frech. a vulgatis uno anno.

**) Ex Augustino citatur Varro.

Cap. XI (II).

1) *Assyriorum — regnabat.* Eus. chr. 310.

2) *Quartus — regnat.* Eus. chr. 300.

3) *Iacobus — vocatione.* Eus. chr. 300.

4) *Dicens — iunxerit.* Aug. C. D. 18_6.

5) *Eo — Phoronei.* Eus. chr. 300.

Cap. XII (III).

1) *Assyriorum — succedit.* Eus. chr. 340. 350.

Aegyptiorum Amenophis. Eus. 230.

Fr.: Annus ab Abrah. 347; Eus. 348.

Fr.: Annus repromissionis 272; Eus. 273.

2) *Igitur — liberarentur.* Aug. C. D. 18_7.

quam — sustinent. Eus. 360.

3) *Fiunt — Aegyptum.* Eus. 360.

4) *Ergo — transfigurabat.* Eus. 230.

„de luto“. Aug. 18_8.

5) *Nec — ostenditur.* Aug. 18_8.

Cap. XIII (IV).

1) *Assyriorum* { — *CCCII erat.* Eus. 370. — *filius.* }

Frech.: a. a. Abr. 377; E. 378; a. R. 302; E. 303.

2) *Sycioniorum — Tumosis.* Eus. 360. 390.

3) *Atlas — vocatur.* Eus. 380.

Cap. XIV (V).

Chr. Eus. 400. 390.

Fr.: a. a. Abr. 407; E. 408; a. R. 322; E. 333.

Numerum 322 errori aut librarii aut typographi tribuendum esse puto.

Cap. XV (VI).

1) *Assyriorum — Orus.* Eus. chr. 420. 430.

Frech.: a. a. Abr. 427; a. R. 352; E. 428. 353.

2) *His — didicit?*

3) *Epidaurus — XC.* Eus. chr. 420. 440. 450.

Cap. XVI (VII).

1) *Assyriorum — modum.* (57). Eus. chr. 450. 460. 450. 480.

Frech.; a. a. Abr. 457; a. R. 382; E. 458. 383.

2) *Nam — accepit.* (58). Aug. C. D. 18_9.

Ex Augustini libris citatur Varro. —

Bonam Noster exhibet lectionem 57_{21}: erupisset, Aug.: eripuisset.

57_{24}. In editione et codice S. G. legitur „deam“; apud August: „quod olea Minervam significaret, unda Neptunum“. Frechulphum quippe qui „olea“ legerit „dea“, Aug. verba mutasse verisimile est.

58_{11}. Frech.: aut; Aug.: atque.

3) *Areopagus* — *sunt.* Aug. C. D. 18_{10}.
Mirus Frech. error in verbis: „Varro-credit". Aug.: — „aliam causam nominis huius conatur Varro astruere, ne Areopagon Athenienses de nomine Martis et pagi — nominasse credantur". Frech. enim ex verbis „ne Areopagon" novam format vocem Neareonpagon, mutatque miro modo reliqua Augustini verba.

Cap. XVII (VIII).

1) *Assyriorum*—*octavo.* (59) Eus. chr. 490. 500.
2) *Moses* — *Aegypto.* Antiqq. 3_1.
3) *Quum* — *exponit.* Eus. chr. 500.
Frech.: a. a. Abr. 505; a. R. 430. Sic Eus.
4) *Igitur* — *DC.* Præfatio Euseb. chron. (ad finem).
5) *Sycioniorum* — *Mosi.* Eus. chr. 480. 500. 510. 530. 510.
6) *Ergo* — *curabo.* Frech.
7) *Is* — *Israel.* (63) (excerpt.) Antiqq. 2_9—$_{12}$.
8) *Hæc* — *libuit.* Frech.
9) *Ait* — *exemplo.* (65). Or. 1_{10}.
Ex Orosio citatur „Pompeius sive Iustinus".
10) *Cecropem* — *inseremus.* (67). Præfatio Eus. chr.
„Suis locis inseremus." Frech. utitur verbis Eusebii.
11) *His* — *texuerunt.* Or. 1_{10}.
12) *Igitur* — *genuit.* Eus. chr. 500. 510. 470. 480. 500.
Pg. 68_9. Editio: musicus, Cod. S. G. misicus; Eus.: Musæus.

Cap. XVIII (IX).

1) *Assyriorum* — *nationes.* Eus. chr. 530. 540. 550. 540. 560. 530. 540.
Cognomen „Nave". Aug. 18_{11} vel Antiqq. 3_2.
2) *His* — *sunt.* Or. 1_{11}.
3) *Solo* — *evadente.* Eus. 550.
4) *Ipse* — *regnavit.* Or. 1_{11}.
5) *Neque* — *connubias.* Eus. 550.
6) *Enimvero* — *condidit.* Eus. 530.
7) *Templum* — *interficiens.* Eus. 550.
8) *Tyranni* — *propinabat.* Or. 1_{11}.
9) *Igitur* — *redierunt.* Aug. C. D. 18_{12}.

Cap. XIX (X).

1) *Assyriorum* — *procreavit.* Eus. chr. 580. 570. 590. 580. 590. 690. 570.
quem — vocant?
Novam invenimus supputationem: „ab exitu filiorum Irael ex ægypto". Consentit hic cum Eusebio Frechulphus.
2) *Tunc* — *comedit.* (70) Or. 1_{11}.
3) *Hæ* — *filius.* Eus. chr. 580. 590. 600.
4) *Quem* — *dixerunt.* Aug. C. D. 18_{12}.
5) *Ea* — *Dactyli.* Eus. chr. 600. 560. 600.

Cap. XX (XI).

1) *Assyriorum* — *supputantur.* (72). Eus. 600. 610.
Frech. ab exitu 102. Vulg. 103.
2) *Tunc* — *suo.* Aug. C. D. 18_{12}.
3) *Erichthonius* — *contigerunt.* (72). Eus. chr. 530. 490.
Verbis Eusebii, quæ ad finem leguntur, transitum Noster sibi parat ad narrationem Orosii. Quæ non ubique cum Eusebio congruit. De Phaetonte e. c. Orosius nihil refert.
4) *Orosius* — *contentam.* Or. 1_9.
Citatur a Nostro Orosius.

Cap. XXI (XII).

1) *Assyriorum* — *Laomedon.* Eus. 630. 620.
Frech. ab exitu 132. Vulg. 133.
2) *Sub* — *fraudantur?*
3) *Argis*—*fuerit.* Eus. (74). 630. 610. 630. 610.
Hic fuit — coeperunt. Eus. cod. Scal.
4) *Sive* — *contulerit.* Aug. C. D. 18_{12}.
5) *Achaia* — *sit.* Eus. chr. 610. 620. 630.

Cap. XXII (XIII).

1) *Assyriorum* — *vocabantur.* Eus. chr. 670. 610. 620. 650. 670. 640. 650.
Frech. ab exitu 164. Vulg. 165.
2) *Hic* — *grassatur.* Or. 1_{12}.
3) *Perseus* — *vocati.* Or. 1_{11} (ad finem).
4) *Illa* — *putatur.* Or. 1_{12}.
5) *Gorgonæ* — *lapides.* Eus. chr. 670.
6) *Unde* — *finxerunt.* Aug. C. D. 18_{13}.

Cap. XXIII (XIV).

1) *Assyriorum* — *præfuerunt.* Eus. chr. 690.
Nam Deborah — expositione. Aug. C. D. 18_{13}.
Frech. ab exitu 184. Vulg. 185.
2) *Sycioniorum* — *discessum.* Eus. chr. 710. 660. 700.
Verba ad finem ex Eus. Cod. Scal. (Codex Eusebii, quo Noster usus est, eiusdem familiæ esse videtur, cuius et Scal. et Rav.

Cap. XXIV (XV).

1) *Assyriorum — condita.* Eus. chr. 720. 730. 700. 680. 690. 710. 700. (?)
Frech.: ab exitu 214. Vulg. 215.

2) *Quo — dicitur.* Aug. C. D. 18_{15}.

Cap. XXV (XVI).

1) *Assyriorum — militantes.* Eus. chr. 760. 780. 770. 750. 710.
Frech.: ab exitu 278. Vulg. 279.

2) *Quando — erubescerent.* Aug. C. D. 18_{13} (ad finem).

3) *Tunc — constitisse.* Eus. 730. 720. 750.
Eus. 720. 750. ex cod. Scal.

4) *Nunc — repedarunt?* (De Argonautis.)

5) *Eodem — quæsituras.* (80). Or. 1_{14}.

6) *Medio — accepimus.* Or. 1_{15}.

7) *Igitur — statui.* Frech.

8) *Refert — præcipuum.* (83). Iordanis de reb. Get. c. 3.

9) *Igitur — maiorum.* (85). Iord. c. 4.

10) *Quorum — incolebant.* (86). Iord. c. 5.
Is vero (85) — habebatur. (86). Iord. c. 11.
Citantur a Nostro Orosius in libro I contra Paganos et Eusebius in annalibus.

11) *Quo — addicebant?*

12) *Utrum — nomine.* Eus. 780.

13) *Aut — saginabant?*

14) *Igitur* (87) *— celebrabatur.* Eus. chr. 780. 790. 810. 770. 780. 770.

Cap. XXVI (XVII).

1) *Assyriorum — Troia.* (89). Eus. chr. 810. 790. 820. 810. 830. 800. 820. 810. 790. 810. 970. 790. 810. 800. 760. 810. 830.
Frech.: ab exitu 305. Vulg. 306.
Pg. 89_4—$_6$. „in — perpetrasset" } Aug. C. D. 18_{12}.
89_8. „huic — facta" }
89_3. Eus. Cod. Scal.

2) *Quod — legimus.* Frech.
Citatur Daretis historia atque aliorum (pg. 89). Daretis autem historiam Noster non legit. Proculdubio retractatio quædam historiæ Daretis Frechulpho præsto erat.

3) *Pelias — regnaverunt?* (94)

4) *Ascanius — educavit.* Eus. 860.

5) *Ascanius — hæredem.* Eus. 870.

6) *De Phryga — nuncupatur?*

7) *Domino — cupimus.* Frech.

Cap. XXVII (XVIII).

Ex locis Eus. chr. compositum. 840. 860. 830. 860. 850. 830. 860. 870. 830. 840. 850.
Frech.: ab exitu 330. Vulg. 33?.
Dubia: 95_6—$_9$. qui — undecim.
96_9—$_{25}$. quæ — nominavit.
a. 840 (pg. 96). „filius Thesei", idem additamentum, quod in Cod. Scal. legitur.
97_{15}. „poetam" Cod. Rav.
97_9. Cod. Scal. et Rav. trieri; simile quoddam Noster exhibet: „trigeri".

Cap. XXVIII (XIX).

Ex locis Eus. chr. compositum. 880. 870. 900. 880. 860. 850. 870. 880. 890.
Frech.: ab exitu 377. Vulg. 378.
Pg. 97_5—$_9$. Antiqq. 5_{16}. Eus. 900.

Cap. XXIX (XX).

1) *Assyriorum — Atheniensium.* (100). Eus. 910. 940. 920. 910. 900. 910. 930. 940.
Frech.: ab exitu 407, Vulg. 408.
Pg. 99_1—$_3$. Samuel — XXVIII. Antiqq. 6_3. Eus. chr. 910.

2) *Codrus — coluerunt.* Aug. C. D. 18_{19}.

Cap. XXX (XXI).

1) *Assyriorum — anni IV M. CLXIX.* (101). Eus. chr. 950. 980.
